









1663.

1496. a. d. Brunnemannus, Johannes: De Variarum German.
Von Herrn Fiden.

1664.

1. Brunnemannus, Johannes: De decima vel alia portione bonorum ab herede vel emigrante solvenda aerario publico.
2. Brunnemannus, Johannes: De sorte causarum dubiarum dicentrice.
3. Brunnemannus, Johannes: De reprobationibus Testium.
4. Reherus, Joachimus: De dignitate et presentia marium.
5. Rhetius, Joh. Fredericus: Juris Civici seu Municipalis Disputatio inauguralis.
6. Rhetius, Joh. Fredericus: De medicis.

(1665.

6^a Rhetius, Joh. Fidericus: De concurrentibus actionum
natura et effecta.

6^b Rhetius, Joh. Fidericus, Ord. Jur. Decano: De inter-
ruptione praescriptionum.) (41. Bd. 1665-1666.
Register.)

7 & 8 Rhetius, Johan. Fidericus: De civitatibus. 2. Pars.
1664: 1686.

9. Simon, Johann: De statu rei publ. convenientissimus

1665.

6. Aethias, Joh. Titianus: De commentariis aethias
naturae et effectibus.

7. Aethias, Joh. Titianus, Ord. S. Thome: De
receptione prescriptionum } (17. Dec. 1665. 1666)

8. Aethias, Joh. Titianus: De constitutionibus
1667: 1668.

9. Simon, Johannes: De statu reipublicae

P 445



1664, 4
I. N. D. N. J. C. 8

DISPUTATIO JURIDICA #7

De

DIGNITATE ET
PRÆSTANTIA MARIUM

Quoad nonnullos Juris effectus;

Quam

Adspirante summo Numine

*Consensu Nobilissimi & Amplissimi Juris-Consultorum Ordinis in Illu-
strissima hac Universitate Viadrina*

PRÆSIDE

*VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSUL-
TISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO*

DN. JOACHIMO DECHERO

*J. U. D. Cod. Just. & Placit. Feud. P. P. Ordin. Reip. Literariæ
p. t. Rectore Magnifico, & Civitatis Consule Primario,*

*Patrono atq; Promotore suo atatem suspiciendo,
devenerando,*

Placido Eruditorum examini submittit

MATTHÆUS Förster

In Auditorio Juris consultorum

ad d. Augusti

Anno partæ salutis MDC LXIV,



Excudit ANDRÆAS BECMANUS,

18.

DISSERTATIO JURIDICA
DIGNITATE ET
PRAESTANTIA MARITIM

DI JOACHIMO DECHERO

MATTHEUS





I. N. J.

I.



Um mares & foemine ob sexus discreti conditionem non corporum tantum habitu, sed disparili quoq; animorum vi atq; virtute a se mutuo distinguantur; idcirco cum naturali ratione, tum gentium omnium contentione civitatumq; singulari arbitrio salubriter constitutum est, ut in multis tam masculi quam foeminae jure inter se uterentur diverso.

PRincipio rerum cum DEUS Opt. Max. universum hunc orbem, caelum, terram & quicquid his continetur pro infinita sua sapientia miro extruxisset artificio, tandem operibus suis supremam impositurus manum, hominem, qui imaginem suam referret, terrae finxit ex gleba, ut quem intellectu atque sensu divinitatis & potentiae suae instruxerat, gloriae quoque haberet capacem. Quandoquidem propterea ficti atque inspirati ab eo sumus, non ut caelum videremus & solem, (quod Anaxagoras putavit) sed ut artificem solis & caeli DEUM pura & integra mente coleremus. *Lactant lib. 6. c. 1. divin. Inst.* Quoniam autem opifici DEO, nec dum ratio creationis penitus constare videbatur, si splendor Majestatis suae in Adamo solo recondideretur, ea propter, ut providentiae divinae munus manifestius exereret, profundo hominem alligavit sopori, atque Evam ex costa, latere ipsius desumpta, fabricatam perpetuo foedere fidam ei junxit sociam, quo deliciis atque blandimentis hujus illectus generi multiplicando humano suavius incumberet, atque ita per propagationem Majestatis divinae cultum & hono-

A 2

rem,

rem, qui primitus ad paucos admodum pertinebat, in plures dif-
funderet. Factus est teste eod. *Lanctant. c. 7. divin: Inst. à*
DEO mundus, ut homines nascerentur, nascuntur autem homi-
nes ut DEUM agnoscant, ut colant, in quo justitia est. Deinde
etiam, ut qui ex lapsu nefario mortalitatis conditione cito obituri
erant, mutua sic servarentur successione, manerentque suis vicibus
immortales *l. 14. C. de Legit. Hered. Nov. 22. pr.*. Nam ne animan-
tum genera deficerent, par hoc conjunctum liberos procreat. *Xe-
noph de administr. domest.* Eamque ob causam nuptiæ à Divo Im-
peratore nostro jure laudantur, tanquam solæ homines facere
valerent *Nov. 39. pr. in fin.* Cum raro quisquam ducat uxorem,
qui non liberorum suscipiendorum potissimam habeat rationem.
l. si vicinis C. de Nup. Commune enim omnium animantium est
conjunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum
quæ pro creata sunt *Cic. lib. 1. Off. p. m. 12.* præ primis quod ipsum
hoc vel maximè sit naturale *§. 1. Instit. d. J. N. G. & C. l. 1. §. fin. ff.*
de J. & J. vid. Gædd. ad l. 220. §. 3. ff. de V. S. Proinde quoniam
DEI altissimi, cum duos sexus maris atque foeminae machinaretur
non aliud institutum fuit, nisi ut eâ ratione mortalium tueretur
conservationem, parique exemplo civitates quoque & regna fun-
daret ac muniret. Quæ enim Resp. absque matrimoniorum usu vel
salva esse possit aut diu vivere, *vid. Liv. Lib. 1. c. 1. Gell. lib. 1. c. 6.*
Quid est quod magis publicè expediat, quàm ut Imperia & auge-
antur & multis hominibus legitimè progenitis frequententur? *l. 2.*
C. de indict. viduit. tollend. Nonne hoc quoque ad virtutis pertiner
officium & patriæ vivere & propter patriam procreare filios *Au-
gust. de Civit. DEI lib. 19. c. 1.* Religiosum est liberorum procre-
andorū causa uxorem ducere *Macrob. lib. 1. Sat. c. 16.* Adeo ut me-
rito pii habeantur, qui hoc animo & voto in matrimonia conve-
niunt *l. 220. §. 3. ff. de V. S. Hottom c. 3. de vet. rit. Nupr.* Attamen hinc
arbitrari fas non est, ac si nullum inter mares & foeminas, excepto
sexu, discrimen in super intercederet. Multum sane & corpore
& animo uterque à se invicem differunt. Quod si enim vel cor-
poris firmitudinem membrorumvè spectamus robur, illico utique
manifestum evadit, masculos his ipsis longe eminere præ foemi-
nis. Nec est quod hæc temere quisquam obrectandi tantum
Studio

studio in vulgus jactari praesumat. Naturae ea decreta, ea confi-
lia sunt. Nam ne foeminae ad jugi maritalis patientiam accedere
iniquo persape ferrent animo, viros, ut eas cogere possent, for-
mavit robustiores *Lactant c. 12. de Opif. DEI* ubi insuper hoc addit.
Vir itaque nominatus est quod major in eo vis est, quam in foemi-
na; & hinc Virtus nomen accepit: Item Mulier (ut Varro interpre-
tatur) a mollicie est dicta, immutata atque detracta tantum li-
tera, velut mollier *add. Tiraquell. gl. 1. L. 1. n. 53. de Leg.*
Connub. Neque vero haec sententia omni juris nostri destitui-
tur suffragio *arg. l. 1. §. 28. ff. Sc. Silan. l. 10. §. 1. in f. ff. de reb. dub.*
quae mares praesumunt Fortiores *Gilhaus. arb. jud. civ. c. 7. P. 7. §. 174*
n. 2. de Praesumpt. Unde etiam si quis, muliere occisa, moderatae
defensionis exceptionem allegaret, vix auditur, nisi manifeste id
probet *Gilhaus. arb. Jud. Crim. c. 2. tit. 12. n. 35.* cum secundum *Ar-*
tic. 144. Const. Carol. virum ad sui defensionem a muliere cogi
posse ad modum videatur improbabile. Quare quis haec jam infi-
cias iret aut vocaret in dubium? Nonne forma insuper quae potis-
simum blanditur in foeminis, argumentum muliebris est teneritu-
dinis? *Tiraquell. q. 17. Opin. 7. & 8. de Jur. Primig.* Quod si ita,
cum corpore comparatum est, quae ergo animorum erit conditio?
Nonne corporibus effoeminatis & animi longe redduntur debili-
ores? *Xenoph. de adm. Domest.* Quocirca, ut quae virorum virtus,
quae constantia sit, dilucide appareat, mulieres quibus sint inferi-
ores viris, docere est animus. Nam si foeminas sexus imbecilli-
tate labi constiterit, viros certe sapere nemo facile negabit *La-*
ctant. lib. 5. c. 13. div. Inst. argumento sumto a contrario, quod nec
juri nostro est incognitum *arg. l. 1. pr. ff. de his qui sui vel. pr. Inst. de*
Tutel. Inprimis autem hic oppido notandum est, mulierum ap-
pellatione omnes omnino venire foeminas tam innuptas, quam
maritis junctas *l. 13. pr. ff. d. V. S.* imo omnem in universum sexum
muliebrem *arg. l. 25. §. 9. ff. de aur. & arg. leg. l. 81. §. 1. ff. de Legat. 3.*
Quoniam vero alienas persequi fragilitates inhumanum prorsus
videtur, idcirco ne iniquitatis aut temerariae ejusdam molitic-
nis laecessitus gravem incurrere cogar invidiam, vel ab initio sta-
tim quid foeminae ipsae de se *apud Euripidem in Medea* professae sint
in medium proferam ubi ad hunc fere sensum loquentes introdu-
cuntur;

A 3

Mulie

*Mulieres sumus ad bona consilia inertissime,
Malorum autem omnium artifices sapientissime.*

Quod quamvis mihi ex omni parte non arrideat, constat tamen vel summi *Aristotelis* Autoritate *l. 1. Pol. c. ult. foeminar. judicium*, ut cunque istæ aliqua consilii suggerendi facultate sint prædictæ, tanti omnino non esse faciendæ, quæ albo semper notari mereantur lapillo *add. l. 5. §. 8. ff. de administr. tutor.* Præ primis cum plerumque adversus propria commoda earum inveniuntur laborare consilia *l. 4. C. de sponsal.* Atque inspiciamus tantum aliquanto diligentius universi sexus istius fragilitatem *l. 20. C. de donat. ante nupt. l. unic. §. pen. C. de Rei Uxor. Adf. Infirmiorem l. 2. §. 3. ff. ad Sct. Vellej. l. 9. ff. de Curat. Furios. l. 9. ff. de Jur. & fact. ign. l. 1. §. 10. ff. ad Sct. Turpill. l. 1. C. quand. mul. tutor. offic. f. 1. Petr. 3. v. 7.* atque imbecillitatem *l. 2. §. 2. ff. ad Sct. Vellej. l. 23. pr. C. de Nupt.* Satis certe constabit quam nimium ipsarum confidendum non sit suffragio *arg. l. 4. ff. de Testam. tut. l. 1. C. de Confirm. Tut. Benken- dorff. P. 2. A. 1. m. 1. n. 9. ad l. 2. ff. de R. J.* Et cujus momenti sint decreta, quæ agrâ potissimum proficiscuntur à mente? Atqui affectus, qui animis mulierum vehementius incessant *Bodin. lib. 6. c. 6. d Rep. à recto prorsus abhorrent? Arist. lib. 3. Pol. c. 16.* Animus enim, ubi quis eum morbus semel invasit, per quâ obtunditur, caligoque ei offunditur, ita ut plane nihil idoneum excogitare possit *Dion. Cassius lib. 38.* Quid autem est quod magis sit in lubrico Sexu muliebri? *Enenck Priv. 1. c. 5. n. 9. de Priv. Parent.* sunt enim foeminae quam plurimum immoderatae & intemperantes *l. 22. C. de administr. Tut.* sunt avaritiae, quæ teste *Seneca lib. 2. Controv. 7.* muliebrium vitiorum fundamentum est, naturâ obnoxiae *arg. l. 33. §. 1. ff. de donat. inr. vir. & uxor. l. 4. §. 1. ff. ad Sct. Vellej. l. 16. in. f. C. de donat. inter vir. Phil. Matth. ei ad l. 2. pr. ff. de R. J. n. 28. Cothm. resp. 29. n. 160.* adeo ut instar miraculi sit, si mulier quid donet *l. 34. §. ex contrario gl. ff. de Neg. gest. Bald. in fin. l. si à sponso 16. C. de donat. ante nupt.* sunt maxime timidæ *Dec. n. 42 ad l. 2. pr. de R. J.* sunt incautæ atque decipi faciles *arg. l. 20. pr. C. de donat. ant. nupt. Nov. 97. c. 3. Tiraquell. gloss. 1. P. 1. n. 76. de Leg. Connub.* sunt variae atque inconstantes mutabilesque in horâ *arg. l. 20. C. de Inoff. Testam. c. Forus X. de V. S. Matth. Coler. Dec. 67. n. 4. Tiraq. d. l. P. 9. n. 129.* perinde ut *Propertius Eleg. lib. 2.* rectissime dixerit:

Nulla

Nulla diu foemina pondus habet.

Garrula multiloqua atq; taciturnitatis communiter exper-
tes *Arnis. Doct. Pol. c. 9.* adeo ut vulgari locum propterea dede-
rint proverbio: Nec mulieri nec gremio tuto quid credi oportere.
Beroald. ad l. 3. Apulej. de Aur. Asin. Jam cum haec mulieribus ple-
risque imo fere omnibus dicto modo inesse non tam ratio, quam
ipsarum confirmet natura, in confesso utiq; jam erit, viros sexum
istum sequiorem, prout *Apulejo Lib. 10. As. Aur.* insignitur, animi
quoque viribus plurimum antecellere *l. 4. S. fin. ff. Qui pet. Tut.*
l. 19. S. 1. de Offic. Praef. Neminem fugit, quam foeminis in lau-
de ponatur animi virilis gloria emicare, contra viris ducatur op-
probrio corpore & animo effoeminari, atque mollicie quasi ema-
sculari *juxta Ennianum illud.*

Vos etenim Juvenes animos geritis muliebres

Illaque virgo viri.

Neque his sacrae repugnant literae, quae (ut pleriq; docti in enar-
ratione Psalmi primi annotarunt Theologi) viri appellationem
usurpant, cum potiore animi partem significare volunt, quam
Philosophi rationem, Paulus Spiritum appellant: Rursum mulieris
vocabulo infirmiore mentis nostrae portionem indicant, quam nos
affectum, Theologi carnem vocant *Tiraq. d. l. P. 1 n. 69. Bodin. l. 1. c. 3.*
de Rep. Attamen exinde foeminae ab omni penitus virtute excluden-
dae non sunt. Nunquam enim virtus ita se constringi patitur ut vel
certo adhereret sexui aut alicujus tantum serviret sensui *Lips. Polit.*
2. c. 3. Et ut viris mulieres haudquaquam pares existant, non profecto
quis ex eo recte statim negabit, ipsas pro conditionis suae quali tate
ad genuinum decus eniti posse. Pollent & foeminae judicio *arg. l. 12. S.*
2. ff. de Judic: nec a sapientia atque prudentia prorsus sunt remotae
Prov. 14. v. 1. c. viduas 27. q. 1. Multae semper & magnae repertae sunt
mulieres, quae constantiam atque animis viris admodum non cessere:
Eoque postmodum usu quoque invaluit, ut illae dicerentur viragi-
nes, quae corporibus foemineis animos gererent viriles. *Tiraq. dict.*
P. 1. n. 91. Nec defuere quae doctrina atque ingenio plurimum
excellere, prout earum *Tiraq. p. 11. n. 25. & seqq. de L. Con.* longum
contexit Catalogum. Quo circa omnino haud dubito, quin ju-
dicii perquam sint jejuni, qui foeminarum fastidiosè nimis asper-
nantur

nantur consilia, quæ viros etiam quandoque juvare debent. *Aurel. Viſt. in V. Julian.* Nec injuria. Quis enim ignorat Divum Imperatorem nostrum Augustam suam consultationum de maximis rebus habitaram per sæpe reddidisse participem? *Nov. g. c. 1. Dec. n. 38. d. 1.* Num quid Pompejæ Plotinæ monita audivisse Trajani unquam detrivit gloriam? *Aurel. Viſt. d. 1.* Aut Cyrum juniorem ab Aspasia aliquando edoceri pœnituit? *Ælian. lib. 12. c. 1. Var. hist.* Quid de Carolo VII. Galliarum Rege dicam? Nonne Regno ab Anglis exutus fuisset, nisi Joanæ puellæ rusticæ auspiciis bella gerere maluisset? *Papa Pius. II. Comm. l. 6.* Nec hoc Principibus tantum de more fuit. Eisdem usæ sunt institutis & aliæ Gentes. Quod si Lacedæmonios, qui Græcorum prudentissimi & in omni vitæ officio continentissimi ab omnibus sunt habiti, intuemur, eos herclè non minus publica quam privata consilia cum mulieribus communicasse legimus apud *Plutarch. in Compar. Numæ & Lycurg.* Nec Galli aliis vixere moribus, qui foeminas ad belli pacisque consultationes adhibere non fastidivere. *Idem de Virtut. Mulier.* Hisque plane geminum est, quod *Tacitus* de Germanis memoriæ prodidit, eos mulierum, quod sanctum aliquid & providum his ipsis inesse putavere, nunquam aut insuper habuisse consilia aut neglexisse responsa. *lib. de Mor. Germ.* Sed ponamus earum quamplurimum vacillare præcepta, non tamen idè, cum naturæ tantum hæc vitia atque defecta sint, mulieres vel odisse statim aut minoris, quam par est, æstimare æquum est. *Castilio lib. 3. de Aulic.* Sed quæcunque potius via ipsis adhiberi debent, quæ sunt utilia. *Plutarch. Præcept. Conn. & lapsus ipsarum competenti moderatione sublevari l. 23. C. de Nup.* Verum enim verò quia ejusmodi mulieres, quæ ultra, quam sexus rätio permittit, in se aliquid virilitatis habeant, rarò admodum sunt obvix, id circò tamen jura nostra cavillari neminem decet, ac si infirmitatem iniquè de universo præsumerent sexu, quæ tamen in maxima tantum foeminarum deprehenderetur parte. Notum est omnibus leges ad ea solum, non quæ raro, sed quæ frequentius accidunt, aptari *l. 5. ff. de Legib. Arist. l. 5. Ethic. c. 14. Hahn. ad Wesenb. II. de Legib. n. 4.* Atque ut maxime quædam illarum discretæ sint, non tamen sunt in ea perfectione, in qua sunt masculi *Benckend. Mem. 1. p. 2. Art. 1. n. 30. ad. l. 2. de R. I. Elu-*

R. 7. Elucet hoc inter alia in his potissimum, quod cum naturali philosophiæ Mystas consulimus, foeminas quidem in mares mutatas esse per sæpe experimur, masculos autem contraria metamorphosi transfiguratos nunquam, *Plin. lib. 7. c. 4. Gellius l. 9. c. 4. August. l. 3. c. 31. de Civitat. Dei.* Ad quem locum *Ludovic. Vives lit. E.* hæc notat. Et profectò consideranti mihi rationem sexuum, difficilè videtur ex mare fieri foeminam; contra fieri non item; nam retrahere naturam virile membrum intrinsecus, facereque ex eo loco locos foemineos difficillimum est, expellere vero locos foras, penisque in modum deformare, etsi rarum, fieri tamen potest facilius, quam credatur. Verum quamvis mihi nec dum illa sexus mutatio penitus probetur, eò quod humani corporis structura atq; forma repugnare videatur. *Suevius ad l. 1. de V. S.* hoc tamen veritatis alienū esse non existimo, naturam semper ad optima niti & contendere, & propterea viros semper (si fieri potest) procreare velle, adeò ut, foeminae quotiescunque generentur, occultus aliquis in naturæ opificio error sit, propositoque sine frustretur. *Castilio lib. 3. de Aulico* ubi enim vis generandi imperfectior & parum vegeta est, prodit foemina, ut ita sit quasi mas mutilus & imperfectior. *Arist. l. 2. c. 3. de Generat. Animal.* Ex quo postmodum pervulgatum illud desumptum autumo, quo mulier mas perhibetur occasionatus. *Benedict. in c. Rainutius v. duas habens filias n. 114. x. de Testament.* Jam si Plato ideo naturæ inter alia etiam hoc nomine, quod marem ipsum nasci voluerit, gratias egit. *Lactant. l. 3. c. 3.º div. inst.* tanquam id ipsum beneficii majoris haberet loco, accusandus utique non est; Quod si verò eà consideratione id fecit, ac si res crepera atque anceps ipsi videretur definire, utro in genere rectius ponendæ sint mulieres, rationalium animalium an brutorum? Nullum herclè est dubium, quin non solum per absurdus, sed omnino impius fuerit. Nam quoniam in superioribus foeminas pro conditione naturæ suæ & sapientes & prudentes rectè prædicari abundè est probatum; proinde nefas esset eas hominum eximere consortio, quod naturæ fragilitas *l. unic. §. 15. c. de Rei Uxor. Act. Nov. 97. c. 3.* ipsas plerumque dat in præceptis; præprimis cum contrarium expressè perhibeatur in *l. 152. ff. d. V. S.* atque magis & mirius non variare speciem *l. fin. ff. d. Instruct. & instrum. legat. l. is.*

B

cui ff.

cui ff. *Quemadmodum Servit. amitt.* & Philosophorum & Juratorum concors sit sententia. Nec obstare his arbitramur l. 38. §. *Abortionis* ff. *de Pœnis*. Paulus enim qui dicto §. 5. duos diversos cumulavit casus, non hoc intendit, ut per inductionem fœminas ab hominibus excluderet; sed ut pro ratione subjectorum in definitione pœnæ circumspectè ageret, atque delictum utrumque, tam ex quo mulier, poculo abortionis exhibitò, quam ex quo homo, i. e. Mas & fœmina, poculo amatorio porrecto, periêre, distinctim merita vindicaret severitate. adde *Gædd. ad l. 1. n. 32. ff. d. V. S. Ungepau. Exerc. Just. 16. Th. 12. Philip. Matth. ad l. 181. de R. I. n. 26. Dn. Hahn. ad L. Corn. d. Sic. n. 5.* Cum itaque ex his abundè jam liqueat, Sexum virilem naturæ perfectione, consilii maturitate, operumque insigniorum præstantia muliebrem longius post se relinquere; proinde ne vel alteri excellentia sua plane decolor arg. l. 9. ff. *d. stat. hom. l. 1. ff. de senat. l. 2. pr. ff. de R. I.* aut imbecillitas alteri detrimentosa existeret. l. 2. §. 2. ff. *Ad Sct. Vellej. l. 9. pr. ff. d. jur. & fact. Ignor. &c.* Legum providentia salubriter constitutum est, ut pro naturæ humanæ conditione ac Reip. utilitate utriq; non minus ex honestate quam communi necessitate subveniretur. Leges enim, quæ teste *Aristot. l. 5. c. 1. Eth Nicom.* de omnibus præscribunt, pariter nec, quid his casibus æquum atque justum sit, relinquere indefinitum, quod tamen prout harum aliæ ex rectæ rationis dictamine, aliæ ex constituto vel moribus alicujus populi convalescere, diversimode se habet, quemadmodum pro instituto nostro idipsum infra tractabitur fufius.

II.

Consistit autem juris istius diversitas in duplici differentia: vel enim masculis suam asserit dignitatem, vel fœminas tuetur adversus injurias, ipsisque in subsidium fragilitatis multa indulget privilegia, exceptis solummodo casibus iis, in quibus ob eandem rationem idem jus receptum est.

Quemad-

Quem admodum homines non efficit Respublica, sed cum ac-
 cepit ipsis utitur, *Arist. l. 1. Pol. c. 10.* æque ad hoc ratio maximè
 contendit, ut leges, quæ hominum constringendo vitas *l. 9. l. 10. C. d. Legib.* salutem tuentur publicam *arg. l. fin. C. si contr. jus vel util.*
 ad naturam apprimè sint accommodatæ *arg. l. 24. ff. d. stat. hom. l. 14. C. d. Leg. hered.* Nullum enim jus cum æquitate magis conve-
 nit, quam quod vel minime à Naturali recedit. *arg. l. 31. §. 1 ff. Depos.* quapropter, cum homines, prout theoremate præcedente
 fusè differuimus, juxta statum naturalem non sexus tantum ratione
l. 9. l. 10. ff. d. stat. hom. sed corporum etiam atque animorum ha-
 bitu inter se admodum sint dispares, hic quoque imprimis notari
 meretur jus, quo mares atque foeminae à se invicem potissimum
 differunt & in quo utrique conveniunt. Quod si jam secundum
 illud (1) Masculos consideramus, omni profectò caret dubio, quin
 genus virile collatum cum foemineo illud quidem sit melius, hoc
 autem deterius *Arist. l. 1. Pol. c. 5.* cum quia primum à Deo creatus
 vir, postea ex ejus costa mulier *Gen. 1. v. 7. & 22. Gadd. ad. l. 1. n. 23. d. V. S.* tum quia est naturæ excellentioris, si generationem in-
 tuemur; quod secundum Stoicos, è quorum Schola Jcti plerique
 prodire, & secundum Aristotelem Patris est Generatio, matris au-
 tem conceptio. *Scipio Gent. d. bon. matern. c. 1.* Eja! si hæc ita com-
 parata sunt, quid ni hoc etiam nomine leges nostras vel plurimum
 suspiceremus, quæ viris debitam vindicant dignitatis prærogati-
 vam *l. 9. ff. de stat. hom. l. 1. ff. de senator. liberiolemque negotia*
graviora publicè privatimque expediendi tribuunt facultatem. l. 2. pr. ff. de R. I. Quod profectò etiam insignem æquitatis habet
 rationem: Nam quo quis est perfectior, hoc perfectius opus edere
 in quavis operatione sine mora exoptat. *Sæv. ad l. 1. ff. de V. S.*
 Quibus quoque bellè admodum sacrae respondent literæ, quæ mu-
 lieres viris propter peccatum quasi quodam servitutis genere sub-
 jecerunt *Gene. 3. v. 16. Philip. Matth. ad. l. 2. ff. de R. I.* Proinde
 nulla hic sexus ab arte metuenda confusio, quando legibus nostris
 masculinum continere foemininum dicitur. *l. verbum 1. l. Pronun-*
ciatio 195. ff. d. V. S. l. 62. ff. de Legat. 3. Præterquam quod sermonis
 tantum compendiosi quædam sit explicatio, rectè tamen à mascu-
 lino tanquam à potiori sexus utriusque fieri denominationem,

quis ambigat? Quid quod pessimum exemplo futurum esset, vocabulo foeminino masculos comprehendi juxta *l. 45. pr. ff. de Legat. 2.*? nec aliqua in *l. 4. C. de Lib. Prat.* est difficultas: Non enim sequitur: Natura tam mares quam foeminas producit, ergo dignitate non differunt inter se: vel qui minoris aestimat foeminas respectu sexus masculini, is naturam accusat, *Suev. ad d. l. 1. d. V. §.* Eoque minus homines nimia subtilitate non piam induxisse differentiam arguendi *l. 14. C. de Legit. hered.* Nam ut cunque haec procedant in materia indifferenti, & quoties familiarum conservandarum ratio pro utilitate publica aliud non exigat *l. 1. §. 13. ff. de insp. ventr. Enek. Priv. 14. p. 1. c. 12. n. 12. de Privil. parent.* Attamen haec ipsa naturali maxime niti ratione haud ambiguae veritatis est. Nam si (2) ea etiam respicimus jura, quibus foeminis ex principum succurritur indulgentia, utique actutum apparet, eas praeter masculis in pluribus multis ac insignibus uti privilegiis: Et quidem (1) quoad aetatem, Leges in foeminis ob naturae praecocioris festinationem, multo minus annorum persaepe desiderant, quam in viris: veluti ad nuptias contrahendas, ad finem tutelae, ad veniam aetatis impetrandam, & ad Testamentum condendum. *pr. Inst. de Nupt. l. 4. ff. eod. pr. Inst. Quib. mod. tut. fin. l. 2. C. d. his qui ven. aet. l. 5. ff. Qui test. fac.* Fallit hoc tamen in Diaconissa, in qua ordinanda Justinianus 40 annos exigit, *Nov. 123. §. Presbyterum autem Auth. Diaconissam C. d. Episcop. & Cler. c. Diaconissam 35. §. 1.* Cum tamen in Diaconis 25. anni sufficerent, *d. Nov. 123. §. 1. vers. hoc quoque Auth. Presbyterum C. d. Episcop. & Cler.* Praeprimis quod in sexu imbecilliori ea potissimum aetas hic statui debuit, quae esset a petulantia & libidine plurimum remota. *Gudelin. l. 6. c. 6. & c. 9. de jur. Noviss.* (2) Quoad naturae infirmitatem atque imperitiam, multa ac maxima imperator, ne foeminae ob rationis inopiam, jurisque ignorantiam, quae in his facilius praesumitur. *Br. in l. f. C. de jur. & fact. ignor. gravissima incurrerent in damna, aut insidiis atque dolis veteratorum circumvenirentur, in ipsarum constituit gratiam Tot. rit. ff. Ad Sctum Vellejan. l. 8. §. 1. ff. qui satisfacere cog. l. 9. pr. ff. de jur. & fact. ignor. l. f. C. Eod. l. 23. C. donat. ante nupt. l. 29. l. 30. C. de jur. dot. l. Unic. C. de Rei ux. Act:* Apprimè vero notandum hic est, *Sct. Vellej:* quamvis Mulieres, ne virilibus temerè

temerè implicarentur officiis, ab intercessionibus prohibeat, l. 2. §. 1. ff. ad Sct. Vell. l. 1. 2. pr. ff. de R. I. potissimum tamen sexus muliebris niti fragilitate atque imprudentia d. l. 2. §. 1. & 2. Ad Sct. Vellej. ut ita hanc ipsam rationem restissimè finalem appellitaverit. Franzk. Comm. ad ff. Ad Sct. Vellejan. n. 8. Nam ut longius, quam Sctum hoc factum est, repetere super sedeam, omnino tamen verum est foeminas multo ante jam à Civilibus muneribus, quam ab intercessionibus fuisse remotas; Proinde etiam sequi oportere nemo negabit, mulieres, si ex ratione, dict. l. 2. pr. ff. de R. I. imprimis repellentur ab intercessionibus, nec periculum edoctas beneficio isti suo renunciare posse; Præprimis quod maximè videatur absurdum, ipsas prudentes scientesque magis, quam ignaras contra honestatem sexusque verecundiam pacta inire posse j l. 1. §. 4. ff. de Postuland. Cum tamen ejusmodi pacta vim planè nullam habere indubitatijuris sit. l. 6. fin. C. de pact. l. 1. & 7. ff. Depos. Atqui secus hoc constitutum apparet ex l. ult. §. 4. ff. de Sct. Vellej. confirmaturque per l. 41. ff. de Minor. qua cuique contemnere ea, quæ pro se introducta sunt permissum est. add. l. penult. C. de pact. Philip. Matth. ad d. l. 2. de R. I. n. 22. Gail. lib. 2. Obs. 77. n. 3. Dn. Hahn. ad Wesenb. de Sct. Vellej. n. 9. Excepto tamen casu, quo uxor pro marito intercedit. Novel. 134. Auth. si qua mulier c. Ad Sct. Vellej. Gudel. lib. 3. c. 11. de jur. Noviss. Denique nec ex dolo teneretur foemina, quod ita præmiū potius referrent, quam pœnam, si fraudum technis se in virilia ingerere possent officia; cum tamen hoc aliter constitutum est in l. 23. l. 30. ff. ad Sct. Vellejan. l. 8. C. cod. quod Beneficio juvari non meretur, qui favore dignum se non gerit. Ut proinde rationem illam, quæ l. 2. §. 1. ibi cum cas virilibus officiis & c. ff. ad Sct. Vellej. l. 2. pr. d. R. I. inest, non inconvenienter prætextum vocaverit. Bacchov. ad Wes. Ad. Sct. Vel. (3) Quoad partus periculum meritò earum misereri convenit, l. 12. §. 1. C. Qui potior: in pign. quibus etiam mors exinde persæpe infertur §. 4. I. d. Sct. Terryll. Quapropter meritò eas majori dignari oportet studio supra eos, qui voluptatis superfluum puerorum fecere originem. Nov. 162. c. ult. Uugep. Exercit. Just. 1. §. 6. De his qui plura desiderat; adeat Dec. ad l. 2. pr. de R. I. n. 70. & seqq. Carpz. de jure famin. Tandem si etiam jus inter utrosque æquale

intuemur, probè observandum est, iis in negotiis ad quæ neutra supra dictarum pertinet Considerationum, aliud jus foeminis aliud masculis ferè non statui *Struv. Ex. 3. §. 2.* Ubi enim eadem juris est ratio, idem quoque ibi jus obtinet, *Han. ad Wes. de Legib. n. 8. & cessante Legis ratione cessat & dispositio ejus Sutholt D. 1. Aph. 16.* Sed hic jam quæri posset, utrum ob delicta etiam in poenis irrogandis sexus habenda sit ratio? Quod affirmat *Bodin. lib. 2. d. Rep. c. 6.* ob has maximè rationes: Quia foeminæ cum cupiditatum impetus majores habent, ac difficilius ab inopia rationis & bonarum disciplinarum coërcere possunt libidinem; tum etiam molliores sunt, ac dolores acrius sentiunt quam viri. *add. Tiragv. l. 1. n. 85. d. leg. connub.* Quæ sententia etiam adedò arrisit *Farinacio Q. 98. Caus. 10. n. 1.* ut eam instar regulæ proponeret, propter textus in *l. 6. ff. ad Leg. jul. peculat. l. 5. §. 3. C. Adl. jul. Maj. l. 38. §. 7. ad L. jul. d. Adult. c. sicut dignum in pr. X. de homicid. § c. Indignantur 32. Q. 6.* ubi scribitur tanto gravius viros puniri oportere, quanto magis ad eos pertinet & virtute & exemplo foeminas vincere. Atque hæc non tantum procedit in casibus à jure expressis, prout limitatur à *Gilhaus. Arbor: judic. Crim. c. 5. Ramusc. 3. n. 43. Althus. Dicaolog. l. 3. c. 99. n. 45.* Verum etiam in non expressis *arg. l. 38. §. 2. ibi nam si sola ff. ad l. jul. de Adult.* sed ita tamen ut in iis, quæ à jure Divino Naturali & Gentium sunt prohibita isti locus non relinquatur *d. l. 38. §. 2. ff. ad l. jul. de Adult.* Quod adedò verum est ut nec in practica ab eo recedi possit *Farinac. d. loc. n. 15.* Nec obstat. *l. f. C. d. jur. & fact. Ignor.* Quæ obtinet in causis civilibus tantum. *Farinac. d. l. n. 12.* multò minus aliquid facit, quod in causis & decisionibus quoque poenalibus masculinum sermonem ad utrumque sexum pertinere dicit *Gedd. ad l. 1. d. V. S. n. 53.* hoc enim in tantum verum est, ne delicta planè maneant impunita: contra *l. 52. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 14. C. d. Pœn.* non etiam ut mitius vindicentur in foeminis: Præprimis quod *l. 108. ff. de R. I.* ferè in omnibus poenalibus judiciis & ætati & imprudentiæ succurritur, & *l. 7. §. 4. ff. d. jurisdict.* Imperitia & rusticitas, quæ plerumque in sexu deprehenditur muliebri, *l. 8. §. 1. ff. qui satisd. cog.* nonnunquam etiam planè excusat à pœna. Nec quicquam refert mulieres ob fornicationes quam primum constat de prostituta pudicitia, confestim infames fieri

fieri. *l. 41. §. penult. ff. de Rit. Nupt.* Viros autem Sententiam de-
 mum passos *arg. d. §. pen. junct. l. 14. ff. de Testib. Dn. Hahn. ad*
Wes. de his qui not. infam. n. 5. Freberus lib. 3. de Existim. c. 16. n. 1.
 Forsitan nesint quidem paria, quæ ulla parte sunt dissimilia. *Quin-*
til. l. 7. c. 4. Instit. Orat. Jam vero multo major castitas, etiam,
 secundum mores hominum, exigitur in foeminis, quam in mari-
 bus *l. 1. §. 7. ff. d. susp. Tutor. l. 2. §. 1. C. de his qui ven. etat. Marqu.*
Freber. d. loc. Estque promiscua illa venus publicè & privatim,
 admodum perniciofa propter eam, quæ consequitur, liberorum
 incertitudinem & confusionem familiarum. *Ungepau. Exerc.*
Just. 3. Q. 9. Quidni ergo cum gravius peccent. *Idem d. loc.* Se-
 veriori etiam cohibeantur censura? Frenis enim opus est foeminis,
 ut quod sua sponte non facerent, ignominia ac turpitudinis me-
 tu aggredierentur. *Castilio lib. 2. de Aulico* Coeterum quod de
 herma phroditis, qui de utroque participiant sexu, dicendum su-
 perest, notari potest, in illis eum potissimum aestimari sexum,
 qui magis pravalet. *l. 10. ff. de Stat. hom. l. 15. §. 1. ff. de Testib:*
Struv. Exerc. 3. n. 2. Quod si vero utroque quispiam valeat, tunc
 secundum illum censeri, quem ipse elegerit, *Dn. Hahn. ad Wes. ff.*
de stat hom.

III.

His itaque præmissis, convertimur jam ad marium,
 de qua differere animus est, dignitatem; quæ, in quantum
 consistit in jure, definiri forte hac ratione non incommo-
 dè poterit, quod sit prærogativa, juris, qua Masculi ob na-
 turæ præstantioris excellentiam, foeminis meritò antepo-
 nuntur, cum potestate, tum rerum multarum singulari di-
 gnatione.

Cum docente *Cajo l. 1. ff. de Orig. Jur.* Cujusque rei potissima
 pars sit principium; deinde autem visis jam initiis atque ori-
 gine repetita, interpretationis materia protinus subijci debeat:
 Ea propter etiam nunc ab instituto nostro alienum non esse duxi-
 mus si tandem, excussis ita generalibus, rei ipsius deproperaremus
 tracta-

tractationem. Quoniam vero omnis, quæ à ratione suscipitur, de re aliqua Institutio, à definitione profisci debet: ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur: *Cic. lib. 1. off.* atque istud etiam juri nostro perquam familiare est *l. 1. l. 2. ff. de Usufr. l. 1. l. 3. de Servit. l. 1. de Tutel. l. 1. Qui Test. fac.* Proinde & nos, ne inverso procedentes ordine divisiones temerè præcipitarem, compendiosam prius argumenti hujus summam, quæ dignitas est atque præstantia marium, tamquam caput dissertationis nostræ præmittere constituimus. Est autem definitionis maxima vis atque virtus in duobus præcipuè conspicua. I. In Exclusionè æquivoci II. in partium essentiam constituentium recta explicatione. Quantum illud concernit, accipitur dignitas mutifariam. (1) Pro integritate vitæ, ob quam quis apud bonos optimè audit. *arg. l. 5. § 1. ff. d. Extraordin: cognit. l. 14. § 1. ff. de Servo corrupto.* (2) Pro splendore atque insigni quadam amplitudine, quæ dicitur Civilis. *arg. l. fin. ff. d. Senator Althus. Disolog. lib. 1. c. 26. n. 16.* Atque hæc vel à Magistratu est: *l. 14. pr. ff. de Muner. & honor.* quod dignitates non sunt sine munere publico. *arg. l. 1. § 16. ff. de Collat. Sæv. ad l. 100. d. V. S.* vel à majoribus, quæ dignitas vocatur natalium: *l. 12. § 3. l. 3. ff. d. Administr. Tut. Florus lib. 1. c. 26.* quam utramque etiam mulieres participant intuitu Patris & Mariti *l. 8. ff. d. Senator l. 13. C. d. Dignitat. Sæv. d. loc.* (3) Pro Magistratu ipso Jure Civili *tit. C. de Dignit: tit. C. ut ordo dignit.* jure verò Canonico pro administratione cum jurisdictione. *Glossa c. 1. de Consuet. in 6. Ungepau. l. 3. Decretal. Tit. 5. n. 12. Clapmar. lib. 1. c. 10. de Arc. Rerp.* (4) Pro insignibus dignitatis. *Florus lib. 1. c. 13.* Statimque inquires, in suas quisque ædes ingressi, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt: ut cum venisset hostis, in sua dignitate morerentur. (5) Pro præstantia quadam naturali, qua quis ob naturæ eximias dotes alio est excellentior. *Althus. d. loc. n. 15.* qua in numero bonorum virorum & honestorum civium censeari meretur, quaque capax est munerum & honorum & ad omnes actus societatis Civilis gerendos aptus. *Freber. lib. 1. c. 1. n. 11. de Exestim.* Atque hæc acceptio propriè hujus est loci, indigitaturque aliàs etiam eminentia atque excellentia; Quod semper eam ex opinione virtutis honor comitari soleat & reverentia

Althus

Albus. d. loc. n. 12. Sed quoniam ex dictis elucet, dignitatem ad dignos tantum redundare debere, unde ergò jam definietur, utrum id de viris rectius prædicetur quam de mulieribus? An quod natura majore illi censentur prudentia atque virtute, *Castilio l. 3. d. Aulico.* Ideo etiam dignitate habendi sunt ampliores? Quod si generaliter obtinet, quod Divus Marcus Martiano cuidam respondit, nec verecundiæ, nec dignitati convenire, quicquam non jure facere. *l. 7. ff. ad l. jul. d. vi privat.* utique mares quoque decebit excellentia, qui & animi virtute, quæ propriam, cuique conciliat gloriam. *Herodian. l. 5. c. 1.* & justè agendo fœminas quamplurimum antecellunt. Quantum hoc, observandum, omnino est, Definitionem hanc exstructam esse ex genere illorum, quæ Philosophis dicuntur ab uno ad unum. Si enim hanc aliquanto diligentius inspicimus, obviæ sunt actutum relationes duæ, quarum altera masculos & jus illud, quo potiores sunt fœminis, altera masculos & fœminas, quatenus & quamobrem his illi præferantur, concernit. Subjectum vero relationis sunt viri, qui jure quid habent præcipui. Fundamentum est perfectio naturæ, qua mares comparatione utriusque sexus habita, mulieres vincunt. Terminus denique est potestas atque facultas jure isto utendi. Quibus ita perceptis abundè constabit, quomodo dignitas ista sexus virilis rectè definienda sit. Nam cum honos omnis, qui haberi ab aliquo dicitur, & reverentiæ potioris attribui, relativi sit ad alterum generis & constans partibus duabus, ex concessione tribuentis & amplificatione sumentis. *Arnob. l. 7. adversus Gentes p. m. 260.* utique etiam dubium non erit, quin prærogativa juris quam convenientissimè de nostra sexus virilis præstantia dici possit. Præterquam enim quod prærogare propriè significet aliis præferre, omnino tamen hoc certum est, quod eadem significatione usurpatum quoque inveniatur in *l. 29. C. de Pactis* maximè vero in *l. 12. §. 1. ibi. in presenti autem similem eis prærogativam servamus C. qui potior. in pignor. babe.* ubi imperator alteram prælationis jure debitæ speciem proponit. Hæc cum ita sint, super est differentia, cujus potissima vis in his maximè posita est, cum ut jus hoc à jure fœminarum distinguat, tum ut ostendat, in quibus præcipue consistat; Quoad illud offert se protinus naturæ virilis præstantia: Nam si

C

dubio

dubio prorsus earet, mulieres propter sexus fragilitatem viris pares esse nequaquam posse, utique verum etiam erit, eos nec eodem per omnia jure cum maribus censi debere. Præprimis sicubi vel propter naturæ imbecillitatem *arg. l. 18. C. d. Procur. & verecundiam sexus arg. l. 1. §. 4. ff. de Postul. l. 21. C. d. Procur. Ludw. ad l. 2. pr. ff. de R. I. n. 7. & 8.* admitti, vel familiarum conservandarum aut salutis Publicæ tuendæ ratione æquiparari non possunt: In cæteris omnino ex æquo participabunt, hac tamen cum cautione, ne illæ, in quibus facile insignem aliquam incurrere possent calamitatē, omni destituantur auxilio, prout id *supra jam th. 2. dictū* Atq; hinc jam sequitur jura illa, quib; masculi & foeminae discernuntur mutuó, in his potissimū differe (1) Causa; quoniã illud ob naturæ virilis præstantiam, hoc v. ob fragilitatē sexus constitutū est. (2) Subjectis; illud enim mares concernit, hoc foeminas (3) Objectis: illud versatur circa ea quæ masculos maximè decent & illis honori sunt; hoc vero circa ea, quæ foeminis profunt & expediunt. (4) Fine: illud ut mares tanquam digniores præferat, hoc ut foeminas, ne ob imprudentiam circumveniantur, sublevet. Quoad hoc duo sunt, in quibus dignitas sexus virilis maximè est conspicua: (1) Potestas quæ masculis tam in ipsas competit foeminas *arg. l. 12. pr. ibi; nec quod & corpore & substantia & omni vitâ sua maritus fungitur C. qui pot. in pig. hab. l. 1. §. 7. C. de Rei uxor. act. Dn. Han. ad Wes. de Ritu Nupt. n. 6. quam in liberos l. 4. ff. de his qui sui vel alien. §. fin. Inst. de potest. Patr. l. 13. ff. de suis. & Legit. heredib. Acac. Emenck. Priv. l. c. 5. n. 1. & seqq. de Privileg. Par. Subh. Diff. 1. Aph. 6.* (2) Rerum omnium dignatio *l. 9. ff. de stat. hom. l. 2. pr. ff. de R. I. tam publicè quam privatim, tam in rer vivos quam mortis causa: nisi forsitan aliqui vel casu. aut jure impediuntur.*

IV.

Decet vero dignitas hæc, quatenus est prærogativa juris, sexum virilem jure vel Naturæ, vel Gentium, vel Civili.

V.

Juræ Naturæ eminent viri principatu, fruunturque obsequio & reverentia mulierum.

Omnes

Omnes quidem homines naturæ communis participatione inter se habentur æquales ; Quod si tamen exinde sexum virilem suo vellemus exuere honore, obstaret religio. Præterquam quod *Authore Lactantio s. 7. de Opif. Dei* barbæ ratio ultra fidem etiam plurimum conferat vel ad dignoscendam corporum maturitatem, vel ad differentiam sexus, vel ad decorem virilitatis ac roboris, & *juxta Ciceronem i. offic.* ex duobus pulchritudinis generibus venustas dici debeat muliebris, dignitas vero virilis; omnium tamen cum veritate pulcherrimè consonat, quod *Minuc. Felix in Octavio suo* scribit; omnes pari sorte nascimur, sola virtutè distinguimur: Sic est enim, sic est; honestorum egregiorumque dignitas non propter elegantiam formæ, sed propter virtutes in vita mortalium incrementa sumit. *Xenoph. d. Aministr. domest.* qui paulo inferius ibidem multò ad huc propius à scopo nostro ab est docendo, quod Deus in medio posuerit ambobus abstinentiam à rebus ijs, à quibus abstinendum est, & potestatem fecerit eis, uter foret melior, sive vir, sive mulier, is ut hujus boni (puta Excellentia) partem majorem consequeretur. Concors inter omnes propè est sententia, Viros, cum fœminis collatos, naturâ & meliores esse & prudentiores; *Guazz. Diff. 5. d. Civ. convers.* Proinde quin his, qui ob dignitatem suam mulieribus maximè præferri merentur *l. i. ff. de Senator. principatum etiam tribuamus*, non est quod dubitemus. Est ita perpetuo Naturæ jure constitutum, ut imbecillior coërceatur à potentiore. *Thueidid. l. i. Histor.* Est ordo naturalis hominibus ut serviant viris fœminæ. Quia nulla justitia est ut Major serviat minori *c. est ord. 32. Q. 5. add. Arist. i. Pol. c. ult.* Nec diffitemur uti plerumque in omni regimine, æquè & hic opus esse maximè consilio. Constitit inter omnes quod *Ecclesiastes c. 9.* tradit, meliorem semper fortitudine esse sapientiam: Atque illud est, cur nobis etiamnum plurimi sit Augustinus, qui, ne forte viri temerè suâ abuterentur potestate; *in lib. Quæst. supr. Genes. c. 153.* supra citati atque ab ipso, licet corrupte, mutuati decreti verbis notanter addit: Et hæc dominationibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellent quoque dominatione, quo sic viros modestè admoneret, ut, antequam aliis imperarent, sibi prius imperare cõdisce-
rent, h. e. ut *Bodinus i. d. Rep. 3.* interpretatur, rationi tribuerent.

imperium, cupiditati obsequium. Est enim, *juxta Euripid. in Iphigen: ex versione Erasmi*, Princeps ille, quisquis præminet prudentia. Jam vero, cum hæc de virili potissimum præsumatur sexu, id circo hic quoque observandum est, quod porro laudatus D. Augustinus ad illa Johannis, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed & c. tractatu secundo annotavit. Ponitur (ait) caro pro uxore, quemadmodum & spiritus aliquando pro marito; Quare? quia ille regit, hæc regitur: ille imperare debet, ista servire. Nec injuriâ: Convenit enim eadem in uxorem potestas apprimè cum Sacra Scriptura, sicut videre est *Genes. 3. 1. Corinth. 7. 1. Pet. 3. & præprimis ad Ephes. 5.* ubi apertis verbis habetur: Propterea natura fœminas ad omnia fecit imbecilliores, quo sic à natura suæ admonerentur subjectionis; Cujus ut novæ nuptæ antiquitas aliquod daret argumentum, ab initio statim, cum maritaretur, obnubendi miscebat sollemnitatem. *c. fœmin. 30. Q. 5. c. mulier 33. Q. 5.* Quare etiam hic satis deprædicari non potest communis illæ gentium omnium consensus, quo illud in uxores inter ipsas convaluit imperium; sicut hoc exemplis pluribus docent. *Tiraquell. l. 1. n. 1. & seq. de L. L. Connub. Bodin. d. loc.* Et quamvis quibusdam ab his plurimum distare videatur jus Romanum; generaliter tamen id verum non est; distinguendum enim inter matrimonia, quæ confarreatione, coëmptione, & quæ usu tantum contrahebantur. In illis mulier quam primum deducta erat in domum, in mariti quoque conveniebat manum. *Hotom. c. 23. & 24. de Vet. Rit. Nupt.* Eoque spectat *Quintiliani illud De clam. 236.* Ut virgo pertinebat ad patrem, ita nupta pertinet ad maritum. In his verò, quia liberorum tantum quærendorum gratia domi habebatur uxor, semper quæ filia familiæ alicui jungebatur matrimonio, permanebat in potestate patria *arg. §. 2. Inst. d. Scti Tertyll. l. 1. & 2. C. de liber. exhib. l. 1. C. d. bonis quæ lib. l. 4. C. solut. matrim. Wurmsf. tit. 37. Obs. 9. n. 5.* Ea tamen lege, ut in officio atque operis mariti quoque foret. *l. sicut Patronus ff. de Oper. libert: ei liberos pareret arg. l. 195. §. fin. & l. seq. ff. de V. S. Althusf. Dicaolog. lib. 1. c. 19. n. 6. Præstaretque reverentiam l. 14. §. 1. ff. Solut. matrim. l. un. §. 7. C. de Rei uxor. act. Gudel. 1. c. 7. d. jur. Noviss. Dn. Habn. ad Wesenb. d. Rit. Nupt. n. 6.* Nec est quod quis cum *Bodino d. cap. 3. lib. 1. de*

lib. 1. de Rep. tantopere hic de iniquitate juris Civilis conqueratur. Nam ut liberi sint in potestate parentum, hoc non minus jure Naturali ac Divino constat, quam illud, quo uxores maritis suis subdita esse jubentur. Nec, si ratio, quæ *Genes. 3. v. 24.* desumitur, obtineret, magis stringeret foeminam quam maritum ipsum. *Vid. Enekn. priv. 1. c. 12. n. 12. & 13. de priv. Parent.* Quapropter asserere non dubitamus eandem propè, quæ sacris literis utrique conjugum, commendatur necessitudo, & nostris præcipi legibus. Quid est enim jure nostro matrimonium aliud, nisi vitæ totius consortium? *l. 1. ff. de R. N. nisi vinculum? l. 11. §. 12. ff. d. Adult.* Cum quo æquè nihil convenit ac maritalis concordia? *l. 5. C. d. instit. & subst.* Quà durante jus est marito à Patre vel invito vindicare uxorem? *l. 2. ff. de Liber. Exhib. l. 11. C. d. Nupt. & ibid. Dn. Brunnem.* Et ut Parentes olim potestate sua vel ad injuriam usque benè concordantium matrimoniorum abusi sint. *l. 32. §. 19. ff. d. donat. int. Vir. & Ux. l. 1. §. ult. ff. de Exhib. liber.* Sublatum tamen id jam fuit. *D. Marci temporibus. per. l. 5. C. d. Repud.* Ut proinde periculum amplius non sit, ne per id & Divinæ ac naturæ violarentur leges, si quid patriæ insuper tribueretur potestati. *Vid. Baron. ab Enekn. dict. Priv. n. 12.* Quantumvis inficari non possumus, mores nostros, atque ita jus quoque Saxonicum *p. text. Land R. l. 1. art. 45. ibi: Ein Mann ist seines Weibes Vormunde/ & c. Matth. Coler. Dec. 66. n. 2. 5. Treutler Vol. 1. Conf. 45. n. 38. Dn. Han. d. Adopt.* in quantum filia, simul ac nuptiæ celebratæ sunt, penitus in mariti sui transit tutelam ac potestatem, *Cothmann. Resp. 8. n. 81. & 82.* multum illi præstare, cum quia sic juris Civilis subtilitate admodum opus non est, tum quia mulier nemini magis futura est addictior quam incujus liberè consensus arbitrium, & cum quo omni vita sua defungi cupit. Est enim hæc ferè communis plerarumque mulierum fors, ut cum infirmum admodum in explicanda rerum suarum utilitate habeant delectum & sibi minimè sufficiant, impuberum instar præstantioris alicujus ductu regi eas ut plurimum oporteat *arg. §. ult. Inst. d. Attil. Tut. Arist. 1. Polit. 1.* Atque illud ferè est, quod *Plutarchus Præcep. Connub. n. 38.* tradit; ideo filios plus matres diligere, quod ad eis succurrendum opemque ferendam sunt aptiores: Patres vero filias amare magis quasi ipsorum præsidio indigentes.

Quod *Josephus lib. 1. Antiq. c. 16.* de Rebecca prodit, eam seruo
Abrahami de genere percunctanti his respondisse verbis: Rebecca
mihi nomen est, Pater fuit Bathuel, quo defuncto Labanus frater
meus & domum curat & matrem, meæ quoque virginitatis Tutor.
Nec secus id fuit jure Romano antiquo, quod & eodem mulieres in-
discriminatim, ætate licet profecta, accipiebant tutores. *Ulpian. in
Fragm. tit. II. Briffon. d. Rit. Nupt.* Et hoc quamvis postmodum
usu penè obsoleverit, nihilo secig tamen in dote promittenda, con-
stituenda, augenda & mutanda illius etiamnum aliquod remansit
vestigium. *l. 7. ff. de Tutor. & curat dat. Anton. Hottom. c. 28. d.
Vet. Rit. Nuptiar.* Præprimis vero ratione bonorum, quorum, ex-
ceptis receptitiis *l. 4. l. 17. C. de Excus. tut. l. 2. C. qui dar. poss. tut.
S. pen ult. Instit. de Excus. tut. Dn. Habn. ad Wes. d. Tute. n. 5. & do-
te, cujus maritus est Dominus. l. pen. C. d. Jur. dot. l. 9. C. d. Rei
Vind. l. 9. §. 1. l. 75. ff. d. jur. Dot.* Maritus hodie adhuc admi-
nistratores legitimos *l. f. C. d. Pact. Convent. Schneidw. ad S. idem
rescripserunt Inst. d. Excus. tut. n. 2.* modo aliud nihil inter ipsos
convenit *Ant. Hottom. d. c. 28.* Adeo ut & quoad judicia uxoris
nomine cautione de rato præstita agere &c. possit, *in l. 21. C. d. Pro-
curat. Gail. I. Obs. 133, n. 1. Wurmsf. tit. 38. Obs. 7. Myns. Cent. 3, Obs. 53.
n. 3. & seq.* licet in paraphernalibus etiam sine cautione, *per l. f. C.
de Pact. Convent. Dn. Brunnem. q. 35. d. Procurat.* nisi forte de con-
traria voluntate constet *l. 35. ff. d. Procurat. & per. d. l. 21. C. d.
Procurat. & ibid. Dn. Brunnem. Zæf. ad ff. de Procur. n. 12.* Jure au-
tem saxonico Mulieres in causis judicialibus absque curatore nihil
præstant. *Coler. Dec. 67. n. 17.* In extra judicialibus distinguitur,
innuptæne sint, an nuptæ, illæ omnia absque curatore valide agunt.
*Coler. d. Dec. n. 40. & seq. (Secus est constit. Elector. P. 2. c. 15. ibiq;
Dn. Carpz.)* Hæmaritorum suorum, tanquam legitimorum curato-
rum *Land N. lib. 1. Art. 31. v. Wann ein Mann & Art. 45. pr.
Land N. lib. 3. art. 45.* consensum in causis ad istos non spectan-
tibus. *Dan. Möll. ad Const. Elect. 15. P. 2. n. 48.* omnino ad-
hibere debent. *Schultz. Synops. Inst. Quib. alien. lic. lit. D.*
Et hæc quidem pleraque à naturali ratione adeò non sunt remota;
cùm quod mulieres pluribus negotiis absque pudoris dispendio
superesse vix queunt; tùm quod ipsarum plurimum refert, aut
cum

cum maritis aut per maritos loqui. *Plutarch. Præcept. Connub.*
33. Quoniam vero quantum pote marium tueri dignitatem consti-
tuimus, utique his acquiescere minus consultum erit. Quem-
nam enim marito magis decebit providere, ne quid eorum desit
uxori, quibus commodè carere non potest? Nonne ad istum præ-
primis pertinet onera sustinere matrimonii? *l. 76. ff. d. Pact. dotal.*
l. 22. §. 8. ff. solut. matrim. l. 20. C. d. jur. dot. Gudel. lib. 1. c. 8. d.
jur. Noviss. Caput ipse est & Princeps; *arg. l. 57. ff. d. donat. int.*
vir & uxor. l. 88. §. 2. d. Legat. 2. quid quod illius præterea & cor-
pore & substantia & vita omni fungitur? *l. 12. pr. C. qui pot. in-*
pign. hab. incommoda aspernari non decet, quem sequuntur.
commoda l. 10. ff. d. R. I. §. 3. Inst. d. Empt. Vendit. Quapro-
pter etiam haud abs re isti potissimum commendabimus. (1) Ut
uxori suæ de victu & amictu, omnibusque necessariis diligenter
prospiciat; *l. 4. inf. ff. d. Pact. dot. l. 12. §. 1. ff. eod. d. l. 22. §. 8. ff.*
solut. matrim. Alex ab Alex. 4. Genial. dier. c. 8. Wes. de Rit. Nupt.
n. 6. Nec tantum si dotata illa fuerit, sed etiam cum rerum o-
mnium egena in mariti convenerit manum. *Vid. Gail. 2. Obs. 87.*
n. 1. & 95. n. 7. Perinde ut ne quidem, si dos promissa soluta non
fuerit, domo expelli debeat. *arg. Nov. 22. c. 18. vid. Muscul. de suc-*
cess. Convent. Class. 1. m. 2. Concl. 4. lit. B. n. 134. Dn. Struv. Diss. de.
Vindict. Privat. Th. 42. in fin. ut ut Schneid. §. fuerat Inst. d. Act. n.
82. & Gail. d. Obs. 87. n. 2. dissentiant. Consensu enim potissimum
constant matrimonia *l. 30. ff. de R. J. magisque affectu contrahun-*
tur quam dotibus l. 11. pr. C. d. repud. l. 32. l. 13. ff. d. donat. int. vir
& uxor. Neque inter causas est matrimonij solvendi, hodie
maximè, dotis effectus. *Erenk. priv. 6. c. 7. n. 14. d. Privil. Parent.*
(2) ut illam protegat & defendat: sic mares foeminis junguntur,
ut imbecillior sexus præsidium ex mutua societate sumat. *Quint.*
Decl. 368. Eoque magis cum injuria uxori intentata ad maritum
redunder, & ab ipso vindicari debeat *l. 1. §. f. l. 11. §. 7. ff. d. in jur.*
Sunt enim vir & uxor una caro, una anima. *Genes. 3. 1. Corinth. 14.*
Sibique invicem pars & portio. *c. admonere 8. c. 33. q. 2. c. Gaude-*
mus. 8. X. de divort. Cur itaque ipsi nunc minus liceat tuendo
uxorem vel à se vim ingruentem repellere; cum defensio sui omni
jure permessa sit & concessa? *l. 3. ff. d. j. & j. l. 4. l. 45. §. 4. ff. ad L.*
Aquil.

Aquil. l. 2. § 3. C. ad L. Corn. d. fcar: Atque hoc etiam in sponso & sponsa, amasio & concubina obtinere statuit. *August. Vischer. Tract. 2. membr. 4. Art. 1. lit. K. d. Duell. Provis. & improvis.* [3] Ut eam moribus probatissimis esse curet. Nulla calamitas viri magis labe faciat existimationem, quam quæ uxoris dissoluta vita inducitur. Licet enim *juxta Xenophontem lib. de Administr. domest:* Uxor à marito si rectè instituta malè se gesserit, meritò culpam ipsa sustineat; si autem vir ea, quæ honesta & laudabilia sunt, non docuerit illam, atque ita ignara horum utatur, in ipsum tunc ea conferri debeat; Obtinuit tamen inter omnes ferè, ut nimia mariti patientia uxoris semper fovisse credatur turpitudinem. *argl. 29. pr. ff. d. Adult:* sicut id ipsum appositè satis innuere videtur. *Plinius Panegyri: Trajan: d. 83.* Multis illustribus viris, inquiens, dedecori fuit aut inconsultius uxor assumpta, aut retenta patientius. Ita foris claros domestica destruebat infamia; & ne maximi cives haberentur, hoc efficiebat, quod mariti minores erant: deditque rei istius insigne documentum Aurelius Antoninus, cujus divina omnia domi militiæque facta consultaque regendæ solum conjugis attaminavit imprudentia. *Aurel. Victor in vita ejusd. de Cæs.* Quemadmodum idem quoque Severo Pertinaci usu venit, ut domi minus cautus uxorem Juliam famosam adulteriis teneret etiam conjurationis consciam. *Ælius Spart: in v. Severi.* Quare virum non solum oportet omni studio sollicitum esse, ne uxor licentius agendo superior evadat; Sic enim famosum illum despectumque paulo momento aget præcipitem. *Alex: ab Alex. Geneal. dier. l. 4. c. 8.* sed etiam diligenter attendere, ut ipsa sui maximè reverens atque res salutares edocta honestatem æquo sequatur animo. Mariti hoc opus est, qui ita imbuit, ita instituit; dicit *Plin. loco allegat:* Et profectò quidnam huic poterit esse venerabilius, quam uxorem audire dicentem: Tu mihi vir magisterque es, ac Philosophus rerumque honestissimarum ac Divinarum Præceptor. *Plutarch. d. Præcept. Connub. n. ult.* Sunt autem omnium propè mortalium ingenia ita ut plurimum affecta, ut duci velint, coginolint: Prout ejusdem vitii mulieres etiam insigniter sunt obnoxiaæ atque earum pleræque hoc imprimis agunt, ut cum viris luxum sumtumque detrahentibus certent, indignanturque. sin ra-

sin ratione persuadeantur, leniter placidèque deponant, ac moderatè se gerant, *Plut. d. l. n. II.* Ea propter unumquemque, qui uxore vult frui morigera, sedulo cavere decet, ne, si quando illa semel deliquerit, protinus ad verbera properet; Tantum enim abest, ut eam castigando corrigat, ut potius exulcerando animum illius magis magisque irriter. Exasperat homines imperata correctio, blandissimè jubetur exemplo. *Pacat. Drepan. Panegy. Thodos. dict. c. 14.* Proinde convenit maximè marito vel admonitione amicà & gravi animum demulcere uxoris, *Guazz. Diff. 5. d. Civil. Convers.* vel invitare exemplo *arg. l. 12. §. 5. ff. d. Adult.* Quod à *Lactantio l. 6. Inst. divin. c. 23.* his verbis exprimitur: Imò exemplo continentiae docenda uxor, ut se castè gerat. Iniquum est, ut id exigas, quod ipse præstare non possis *add. c. indignantur 32. Q. 6.* Cum enim, docente *Aristot. 1. Polit. 1.* natura foeminam subjecerit non ut servam sed ut sociam *arg. l. 1. ff. de Act: Rer. amot: l. adversus C. d. Crim. Expil. hered.* non ad mancipium, sed ad vitæ libertatem. Ideò præstari maritum uxori par est, non ut pecoribus dominium, sed ut animam conspiratione quadam naturali per benevolentiam cum ipso *Plutarch. d. loc. n. 34.* Nam vir non ex muliere, sed mulier ex viro formata est; eademque non quidem ex capite ipsius prodiit, ne viro dominaretur, nec ex pedibus, ne iis ab ipso calcaretur, sed ex latere, quæ cordis sedes est, ut eam vir ex corde & non secus ac seipsum amaret, *sicut ex Lombard 2. d. 18. citat. Arnif. c. 3. d. Doctrin. Polit.* Veruntamen si mulier animum prorsus obstinaret, seque totam obduraret ad mariti laceffendâ indignationè, tunc profectò nefas non erit, si effrænes illius impetus moderata cohibere tentaverit coërcitione *arg. l. 15. §. 1. ff. solut: matrim: Tiraq. l. 1. n. 22. d. L. L. Connub. Decius ad l. 2. pr. ff. d. R. I. n. 52.* Ubi lenitas amplius non proficit, opus est vindicta. Atque hinc verbis quandoque verbera miscere culpæ dari non poterit; maximè si nec ab illis injuriis abstinere voluerit, ob quas illam vel justè repudiare liceret, *Nov. 117. c. 14. Dn. Struv. Diff. d. Vindict. Privat. Th. 43. Vischer. d. Tract. 2. Memb. 3. lit. O. De duell. Prov. & Improv.* Nec proinde injuriam fecisse censendus erit maritus cum jure suo utus fuerit *arg. l. 5. pr. ff. ad L. Aquil.* Nec si fugientem à se

D

propria

propria autoritate ceperit. *Joachim. à Beust. d. jur Connub. P. 2. c. 66.* Siquidem mulierem in manus viri jus fasque asserunt juxta *Ecclesiast. c. 25.* Eaque maritum suum in omni fortuna sequi tenetur *arg. l. 22. §. 7. ff. solut. matrim. quocunque etiam vadat.* Farin. *d. delict. carn. Q. 143. n. 257.* adeò ut ne pactum quidem obstet si nova oriretur causa *Wurms. Pract. Obs. 4. tit. 36.* Licet cum vitæ & pudicitiae periculo æque non obligetur; nec si maritus vagabundus sit. *Abthuf. Dicaolog. lib. 29. n. 4.* Denique quod de obsequio & reverentia mulierum adhuc restat dicere, (1) notari potest, quod *Plinius Panegy. d. c. 83.* scribit; sufficit uxori gloria obsequii: Nihil est enim, quod magis huic conveniat, quam mariti sui mores pro lege habere, atque his se accommodare. *Alex. ab Alex. d. c. 8.* vel ad unius sui mariti mores vitam suam conformare *Dionys. Halicarn. lib. 2. c. 4.* Nec est quod magis mulieribus expediat, siquidem, præterquam quod obsequio mitigentur imperia *Q. Curt. 8. c. 8.* Casta ad virum matrona parendo imperat. *P. Syrus Mimus.* Arque hinc est, quod in *l. si uxor C. d. Condit. Infert. l. filia C. de Collat. l. 48. pr. ff. d. Oper. libert. l. 13. pr. C. Qui pot. in pig. hab.* mulieres maritis suis cum ad obsequia matrimonii, tum ad officia totiusque vitæ usuram commodandam obstringantur. (2) Quod *D. Hieronymus* monuit *Celantiam*: Servetur imprimis viro autoritas sua, totaque à te domus discat, quantum illi honoris debeat: tu dominum illum obsequio tuo: tu magnum illum humilitate tua demonstra: tanto ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris. Scire debet uxor se lunam esse dumtaxat, quæ solis splendore luceat; & si contingat, ut terra interponatur, & dissidium fiat, omnem se lucem esse amissuram. *Sagittar. Diff. d. Civil. Convers. privat. n. 138.* Proinde etiam optimè illustrium foeminarum exemplis accenseri merentur illæ, quæ *l. 57. ff. d. Donat. int. vir. l. 88. §. 2. d. Legat. 2.* Subjectionis suæ memores maritos Dominos salutare atque juxta *l. 14. §. 1. ff. solut. matrim. l. un. §. 7. C. d. Rei ux: act:* reverenter habere non dedignatæ sunt. Quamvis, quod *Dd.* nonnulli exinde inferunt, mulieribus puta viros suos absque venia Magistratus in jus vocare *per l. generaliter ff. de injus vocando*; vel injuriarum postulare *per l. 11. C. Rer. amor. l. 11. ff. de dolo*

dolo aut adulterii accusare p. l. C. de Adulter. Wes. II. Eod. n. 12.
Tiraq. d. l. I. n. 41. & 42. d. L L. Connub. non licere, usque-
quaquè necessarium non sit atque jure in foro non observetur.

VI.

Jure gèntium (1) familiae omnes procedunt à masculis, & per eos transmittuntur in posteros. (2) Soli propè masculi operum insigniorum, ad quæ maximè labore corporis, sollicitudine animi ac vigilantia est opus, publicè privatimque domi ac foris habentur capaces.

Communi ferè inter omnes convaluit jure, ut, qui ex eadem stirpe, familia ac gente sunt prodi, per virilem sexum, originem gentemque suam traherent *l. 195. §. penult. ff. d. V. S. l. 10. §. 2. ff. d. Grad. Ulpian. tit. II. n. 4.* Nam si familias intuemur illustres nusquam propè Gentium vel vestigium alicujus apparet familiae, quæ non nativitatem suam ac vitam debuisset masculis. Historiæ quippe, quæ clara Majorum consignarunt principia, solos loquuntur viros, qui rerum gestarum magnitudine & vitæ innocentia, insignes non sibi magis quam posteritati nomen peperere & decus. Testisque est *Alex. ab Alex. Gen. dier. l. 5. cap. 4.* moribus Atheniensium & Romanorum secus id observatum non fuisse. Proinde Cicero, Sallustio novitatem suam criminanti respondens, jure sibi inter alia hanc vindicat laudem: Satius, inquit, me meis rebus gestis florere, quam majorum opinione niti: & ita vivere, ut Ego sim posteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum. Nec Macrino hoc nomine exprobandum est, quod literis, quas obruncato Caracalla sumtoque sibi imperio ad S. P. Q. R. dederat, hæc inseruerit: Ambo, *Marcus scil. & Pertinax,* ad Imperium privatis innutriti cunabulis: quippe generis initia clara posteris relinquere ipsum præstat, quam accepta à majoribus sædis contaminare moribus. *Herodian. l. 5. hist. c. 1.* Atamen his gloriari scæminas jure posse nemo facile affirmaverit, utcunque viris ambitioni hoc duci nequeat. Proinde rectè sibi confidit Marius, qui in Oratione, qua Romanos sibi tanquam ho-



mini novo superbè illudentes falsè irridet, ad eam adspirat gloriam, quam ipsi haberent à majoribus h. e. patribus suis. Quod si, inquiens jure despiciunt me, faciant idem majoribus suis, quibus, ut mihi, ex virtute nobilitas coepit. *Sallust. de Bell. Jugurt.* Nam ut ea, quæ cum voluptate agimus, dulcia, ita, quæ cum virtute, gloriosa sunt. *Herodian. l. 6. c. 3.* Quippe hæc sola est, quæ clara æternaque habetur. *Sallust. de bell. Catilin.* quæ dignitatem præbet. *arg. l. 49. §. 4. ff. de Legat. Wegner. ad l. 46. §. 1. ff. d. V. S. n. 2.* qua homines distinguuntur juxta eundem Marium: Quamquam, inquentem, ego naturam unam & communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosissimum esse. *Sallust. d. bell. Jugurtib.* Ex qua omnes per virile robur ac decus procedunt familiarum. Quippe omnium propè gentium consensione masculi hac gaudent prærogativa, ut familiarum plerarumque ipsi soli & Principes sint & sospitatores. Hi enim non naturæ tantum ordine vineunt foeminas, verum etiam prudentiæ ac fortitudinis existimatione. Quapropter amplius dubitare non licet, familiarum gloriam nominisque celebritatem & surgere à patribus & ad posteritatem transmitti per filios. Sunt enim hi soli, qui ob præclara in Rempubl. merita apud antiquitatem in Deorum numerum consecrari meruerunt. *Vid. Macrob. 1. In somn. Scipio. c. 9.* qui familiarum conservant nobilitatem & dignitatem *arg. 15. Inst. De hered. quæ ab int. §. 3. Inst. de Leg. agnat. success. Acac. ab Erenk. Priv. 14. c. 12. n. 12. de Privil. Parent. qui columna domus audiunt, secundum Menand. eiq; præsumt Muscul. d. success. conventi. Class. 1. Memb. 2. Concl. 4. lit. B. n. 123.* Et ut etiam foeminae multæ sexu suo fortiores summam persæpe adeptæ sint gloriam, eam tamen ex se posteritati relinquere vix potuere. Nec quicquam refert liberos naturales matrum suarum profiteri conditionem *per l. 24. ff. d. stat. hom. l. 1. §. 2. & l. 9. ff. ad municip. siquidem hæ ipsæ simul ac convenerint in matrimonia, communi fere gentium consensu maritis suis subditæ horum tenebuntur conditione, vid. infr. Th. 7. liberosque suis parient maris per l. 196. §. 1. ff. d. V. S. ad d. Thom. ab Hobb. de Civ. 6. n. 5.* Quamvis facilè non negaverim, statutis ac consuetudine contraria, non obstante *l. 36. C. de Decurion. quæ quoad mu-*
nea

nera tantum obtinet, induci posse, ut matribus claritatis suæ ac nobilitatis originem & nomen liceret transfundere in liberos, ut apud Locros, Lycios, Xantios, Ilienses, Cappadoces factum esse proditur. Attamen ista tunc demum obtinent, si à Principe approbata aut longo usu recepta fuerint: *Peretz. ad C. de Dignit. n. 45.* Alias enim communis omnium populorum tenenda est observantia; Nisi fortè contrarium summa suadeat ratio, sicut in Campania Gallorum contigisse notum est, ut propter amissam in bello nobilitatem, ignobiles mariti ab uxoribus nobilium conubiis claritatem una cum liberis adipiscerentur. *Bodin. 1. de Rep. c. 3.* Hinc *Papon. in decis. lib. 5. tit. 4. arrest. 3.* tradit, singularem in Campania esse consuetudinem; dum ibidem venter nobilitat, & satis esse ducitur, vel patrem vel matrem habere nobilem, & deinde *in l. 29. C. d. Decur. & l. f. C. d. Agric. & Censit.* quibus nati ex colona vel inquilina, utcumque Principis illa fuerit, & patre curiali, ad Decurionatum aspirare non poterant, favore sc. agriculturæ. *Peretz. ad C. d. Decur. n. 35.* vel etiam quoad Nobilitatis effectus, ut sc. filii ex matre nobili exemptionibus & privilegiis gauderent Nobilium. Sed hæc quomodocunque se habeant, nullum tamè dubium est nobilitatē, paternam prævalere maternæ licet negari non possit eam, si & a matre sit, illustriorem censi: Prout hoc abundè colligere est ex eo, quod in multis Ecclesiis & Collegiis Canonicorum ad majores præbendas non admittantur, nisi qui maternæ quoq; lineæ, per longam seriem, nobilitatem docere possunt. Quæ de consuetudine tamen, nehmlich daß in etlichen Stiffen alleine Edelleute zu Canonicen auffgeworffen und sonst niemand angenommen wird / *scribit Paul. Matth. Wehnerus in Observat. pract. lit. G. sub voce Gewohnheit* / quod illicita & inefficax sit, quia contra omnia jura, contra intentionem fundatorum, contra mentem eorum, qui ad fundationem aliquid contulerunt, & contra ritum veteris & purioris Ecclesiæ est, hic in judicio contradictorio contra ejusmodi manipulum Monopolarum & Ecclesiasticorum & Nobilium, judicatum esse tradunt *Tileman. de Benign. in Apostas. & Noë Meurer in process. p. 9. fol. 298.* Ex legibus tamen torneamentorum in ordines Equestres haud adscribuntur nec ad ludos catæromorum admittuntur, qui non probaverint utriusque parentis

nobilitatem. *Peretz. ad C. de Dig. n. 12. add. Ordinat. Torneam: d. Ann. 1485. Heilbronn. fact. Vischer. de Duell. Provis. Tr. 1. m. 2. Part. Post. Art. 1. §. 1.* Proinde ex his jam sponte fluit, obscuritatem matris licet generis claritudinem planè non subvertat, plurimum tamen eam obfuscare. Eapropter veteres Romani, ut inter cœtera etiam hoc defungerentur malo L. L. 12. Tab. caverunt; Patri- cii cum Plebeis connubia ne jungunto. *add. Clapmar. lib. 3. c. 23. d. Arcan. Resp.* Nec aliud institutum Herodis fuit, qui cum Si- monis cujusdam deperiret filiam, atq; patrem illius nec affinitate tali, nec tamen contemptu dignum judicaret; socerum futurum facta prius honoris accessione pontificatu ornavit, quo tandem minori cum reprehensione filia ipsius pacisceretur nuptias. *Jo- seph. l. 15. c. 12. Antiqu. judai.* ut ut mihi hic cœteris paribus etiam- num magis arrideat Scipionis Amirathi consilium, qui *l. 5. c. 6. Discurs. ad Tacit. de virorum principum matrimonijs* ita differit: Igitur, inquit, sicuti non debet Princeps absque urgente neces- sitate indigna matrimonia contrahere, ita indignitatem hanc subire non recusabit, cum de aliquo rei majoris periculo vitando tractatur: Nam ditionibus imperioque conservato amissa existi- matio facilè quidem recuperari potest, at semel amisso imperio, frustra se posse quis sperabit existimationem retinere. Atque sic nec iniquum duco, ut tum quoque liberi à matre familiam suam ducerent, si Regina, Regnum & libertatè exterone traderet, maritum magis ex provinciis sibi eligere, quam Principi externo nubere maluerit. *Utcunque Ancoranus conf. 339. col. 2. & conf. 489. hoc neget. Vid. Bod. 6. d. Repub. c. 5.* Quod jam ad alterum Theorematis hujus membrum attinet, apprimè delectatur supra laudatus Marius, qui apud *Sallust. de bell. Jugurt.* ea de re ita sen- tit; Mundicias mulieribus, viris convenire laborem, omnibusque bonis oportere plus gloriæ, quam divitiarum esse; arma, non sup- pellectilem decori esse. Nec hoc unius tantum hominis est ar- bitrium; Obtinuit hoc ipsum eo jam tempore, quo quisque pri- vatas sibi ædificaret domos, magis vero cum congregati & in ci- vitates convenirent & regna. Natura enim quæ mulieres sobo- lis suscipiendæ gratia produxit, nihil facit tale, quale fabri ærarii gladium Delphicum aptum ad usus pauperum: sed unam ad unum
Arist.

Arist. 1. Polit. 2. Quapropter etiam gentium propè communi consensu foeminis rei familiaris tantum deputatur cura & custodia. *vid. Tiraqu. l. 10. de L. L. Connub.* Siquidem hæ aptiores magis sunt ad conservandum quam ad acquirendum; sicut vel ex ipsa constat natura, quæ ipsis plus indidit timoris *Xenoph. de Adminis. domest.* & moribus etiam plurimorum populorum ita receptum est, ut domi foeminæ latentes, ut pote apud Græcos olim: *Nep. in proem. Ægyptios. Plutarch. Præcept. Connub. n. 31.* Romanos *Tiraq. d. l. 10. n. 19.* & hodie apud Turcas, *Busbeqv. Ep.* rem privatam tractarent. Est mulieri enim pulchrius intra ædes se continere, quam foris agere. Viro autem turpius intus manere, quam res externas curare. *Xenoph. d. Adm. dom.* Proinde Phidias Eliensibus Venerem fecit testudinem calcantem, indicans mulierum esse munus, & ædes custodire & silentium. *Plutarch. d. loc. n. 33.* Quamvis nec in his viri sua fraudandi sint autoritate ac prærogativa: Quemadmodum hoc *Plutarch. d. loc. n. 10.* pulchrè innuit, cum dicit: quanquam ab utroque unanimiter regitur (*domus scil.*) apparet tamen & extat Imperium viri. Et probari hoc potest exemplo liberorum, qui recens nati pertinent ad matrem. *Xenoph. d. loc. Quintil: in dialog. d. orator.* Adulti verò ad patrem. Est enim res magni præjudicii: sicut *Cic: Orat. 5. in Verr:* egregie docet: Eos, qui non rectè instituunt ac erudiunt liberos, non solum liberis verum etiam Reip. injuriam facere: Suscipiuntur enim liberi non nobis solum, sed etiam patriæ, qui non nobis modo voluptati, sed etiam aliquando usui Reip. esse possunt. Quapropter quoniam, ut *Augustinus lib. 5. c. 6. d. Civ. Dei* docet, masculi & foeminæ instituto & proposito vitæ ita sunt dispares, ut præteractus, quos necesse est à virilibus distare foemineos, ille in officio comitis militat, & à sua domo penè semper peregrinatur; ille de solo patrio & de rure proprio non recedit; utique injurii nunc non erimus, si eodem jure foeminis negemus. (1) Imperia. Natura enim masculis, non foeminis imperium dedit, dicit Jacobus Joannis Regis Cypri filius per Carlottæ sororis maritum regno exclusus ad Ægypti Soldanum. *Pius. II. Comment. lib. 7. p. m. 177.* destituuntur enim & corporum & animi viribus, *vid. Th. 1.* Et ut Natura

ut natura multas persæpè solertes, industria literatas, educatio-
pias, experientia sapientes fecerit. *Arumæus D. 3. Feudal. Th. 18.*
multæque auditæ & vilæ sint Reginae fortes, cautæ, castæ, quæ
virilibus curis foeminarum vitia exuerunt. *Tacit. 6. Annal. c. 25.*
add. Lips. in mon & Exempl. Polit. c. 2. Usus tamen frequentior
& communior docuit, muliebre consilium plerumque esse dete-
rius; *Tacit. 15. Ann. c. 54.* Est enim non imbecillis tantum &
impar laboribus hic sexus; Sed si licentia ad sit, sævus, ambiti-
osus, & potestatis avidus *Tacit. 3. Ann. c. 33.* prout hoc exemplo
Annæ, quæ mariti sui Ludovici Sabaudia Ducis ignavia regimen
ad se traxerat, docet *Papa Pius. II. Comm. lib. 7. p. 183.* Sub im-
perio foeminae, inquiens, cuncta per avaritiam administrata
funt; & Græculi pro sua libidine Sabaudiensibus insultavere.
Quod etiam longè pluribus exemplis & rationibus firmare pos-
semus, sed interim sufficiet lectores remittere *ad Bodin. lib. 6. de*
Rep. c. 5. Arpisa. c. 9. Doctr. Polit. Bernec. ad Tacit. d. Morib. Germ.
Q. 165. & 192. (2) Arma. Quid enim ad Bellum mulier? Pro-
verb. vetus est *μάχαρον αἰεθῆλυ*: Et cum Pheretima mater
Arcesilai Cyrenorum Regis ab Enelthone principe Salaminis ex-
ercitum petiisset, pro restituendo filio, Enelthon misit fustum,
aureum & colum penso circumdatum, rescribenstalia dona de-
beri mulieribus *Herod. lib. 4.*

Bella viri pacemque gerant.

Virg. 7. Aeneid. vid. Bernec. d. loc. Q. 42. Et licet aliquan-
do & ipsæ arma tractarint, exemplo Harlemensium mulierum.
Strad. lib. 7. d. Bell. Belg. Sanceranar. Jodoc. Sincer. itiner. Gall. p.
m. 138. & Joannæ puellæ sub imperio Caroli VII. Regis Galliarum;
Papa Pius II. Comment: lib. 6. attamē vel earum fortitudinem im-
pulsit desperatio magis quam virtus: vel ita per infirmos res acta
est, ne opus cœlestis dexteræ virtuti assignetur humanæ, sed Di-
vinæ: Siquidem dux Siffara, quem Hebræus timebat Exercitus, à
muliere prostratus est; & Abimelechū civitatum expugnatorem
foeminea manus perculit: & ferrata Assyriorum acies vidua opi-
tulante ceciderunt. *Salvian. lib. 7. d. Civit. Dei p. m. 225.* Et de-
nique (3) Legationes & omnia omninò in Repub. munia, quæ
de quibus infra plura.

VII. Jure



VII.

Jure Civili, & quidem 1. Relatione habita ad personas. Uxor 1. est in potestate Viri: 2. Tenetur conditione illius quoad familiam, Nobilitatem ac dignitatem, privilegia, domicilium & forum.

Naturæ & Gentium jura, usu quidem omnium populorum facta sunt communia atque promiscua; sed quia res causasque generaliter tantum definiendo ad omnia per æque non sufficiunt, idcirco quævis natio, quævis Respublica, quævis provincia speciales sibi, prout usus ac necessitas exigebant, condidere leges, ut vel generalitatem eorum additis aut detractis nonnullis pro status sui ratione de terminarent, vel indifferentiam illorum una censura ad certam constringerent observantiam. Quod itaque cum & juri nostro Romano perfamilia sit, ut neque in totum à naturali vel gentium jure recederet, neque per omnia ei serviret, *l. 6. pr. ff. d. I. & I.* proinde quoque nostrum erit differere, quid eodem pariter mares præ foeminis habeant præcipui. Constituimus autem hic imitari maximè Imperatorem nostrum, atque, ut ipse (1) de Personis, (2) de Rebus, [3] de Actionibus præcepit, *§. f. Inst. d. I. N. G. & Civ.* similiter & nos primùm incipere à personis & in rebus tandem desinere. Non quidem quod illorum, qui ex eo multiplex juris prudentiæ nostræ objectum inferunt, sententiæ subscribere velimus: Satis enim à pluribus jam probatum est *d. §. fin. juris magis media quam objecta* proponi. *Vid. Sutholt. Diss. 1. Aphor. pen ult. Dn. Han. ad Wes. d. stat. hom. n. 1.* Sed potius quoniam, distincta sic personarum ac rerum qualitate, illud quod masculorum est, facilius cognosci posse confidimus. Proinde instituta hoc modo relatione 1. Ad personas; dicimus (1) Juxorem voluntati viri sui esse obnoxiam. *p. l. 8. §. 3. ibi. vel nolente & paulo post, aut ipso invito. C. d. Repud.* & per ea, quæ supra jam *Th. 5.* annotare anticipavimus. Nec nobis aliquid facessit negotii, quod toto juris corpore, etiam ubi de personis illis, quæ in potestate esse dicuntur, instituitur tractatio, nusquam uxoris & mariti fiat mentio; Satagit hujus rei *Ulpian. tit. 9.* & sunt insuper textus expressi in *l. 13. §. 7. ff. d. Adule.*

E

l. 1. C.

l. 1. C. cod. quibus viris solis jure mariti adulterii accusandi competere dicitur facultas. Jam vero jus mariti quid Lege julia aliud esse potest, quam potestas quædam, quæ mulieris insolescentis petulantiam ac ferociam metu valeat comprimere? Præprimis quod ea ipsa lex in locum pristinae successit observantiæ, qua maritus adhibitis cognatis intra privatos parietes de capite cognoscebat uxoris, poenæque magnitudinis erat arbiter. *Dionys. Halicarnass. lib. 2. c. 4. Gel. 10. c. 23.* Et præterea etiam vir caput est ac thori genialis Dominus, *Han. ad Wes. d. Adult. n. 12.* Cujus sub potestate tota domus tota familia, atque sic etiam mater familias, esse dicitur *per. l. 195. §. 2. ff. de V. S.* Quapropter præsumendum adeò facilè non est, eam successu temporis ab usu penitus recessisse. Magnus est consuetudinis amor. *Symmach. lib. 10 Ep. 61.* Retineturque diligenter fidelissimæ vetustatis mos *l. 17. C. d. Testament.* Nec ex eo, quod non semper nec communiter eadem omnibus fuit, protinus argumentandum est, ac si tota abierit in desuetudinem. Nam ut obsoleverit, animadvertere tamen quisque debet, in jure nostro non esse novum, ut etiam antiquato aliquo jure, nihilominus duret dispositio illa, quæ ex jure antiquato ortum habet. *Harprecht. ad pr. Inst. d. Potest. Patr. n. 9. 2.* Sequi etiam conditionem mariti *l. 8. ff. d. Senat. l. 3. C. d. Murilegul. & quidem (1) quoad familiam l. penult. §. 3. ff. Quod falso tur. Auct. l. 10. C. de Re milit.* Unde filia aliena patri dicitur possessio, *Euripid. in Iphig.* & soror Authore Labeone appellata est, quod quasi seorsim nascitur, separaturque ab a e domo, in quâ nata est, & in aliam familiam transgreditur. *Gell. lib. 13. c. 10.* Est enim mulier familiæ suæ caput & finis *l. 195. §. f. ff. d. V. S.* Caput, quia unâ cum marito dominium in domo habet, ejusque familiam constituit sobolis procreatione: finis autem, quia, quam sobolem enixa fuerit, non in sui patris, sed mariti potestatem familiamque profert. *per. l. 196. §. 1. ff. d. V. S. §. fin. Inst. d. Patr. potest. Sæv. l. 1. c. 4. p. 60. d. V. S.* Atque ex eo jam satis apparet, cur filia nupta in mariti familia esse dicatur; non ut agnatione & gente sua penitus defraudaretur; Quæ enim naturalia sunt, mutari nequeunt. *§. II. Inst. d. jur. Natur. nec ratione civili corrumpi §. fin. Inst. d. Legitim. agnat. tut. l. 8. ff. d. R. I.* sed ut matrimonio

timronii duntaxat obsequia in gratiam continuandæ familiæ præstaret marito. Quapropter etiam filiæ admittuntur ad legatum vel Fidei commissum familiæ. *per. l. ult. C. d. V. S. Dn. Brunnem. ad l. 4. C. d. Fidei comm.* nisi testator agnationi tantum providere voluerit; quod in dubio præsumitur extantibus statutis super exclusione foeminarum. ut bene declarat *Franciscus Mantic. d. Conject. ult. volunt lib. 8. tit. 12. n. 8. 9. 10. Muscul. de Success. convention. & Anom. m. 2. Class. 1. Concl. 4. lit. B. n. 122.* Nec frater prohibitus alienare extra familiam, in sororem id transferens, voluntatem testatoris insuper habet. *per. l. 4. C. d. Fidei comm. Fusar. de Substit. Q. 1213. Baro ab Eneuk. Priv. 1. c. 12. d. Privil. Parent.* multo minus seclusa erit à jure *ωεγλυμῆσεως* foemina, quæ consuetudine non prohibetur *Dn. Struv. Ex. 23. θ. 58.* quia ratio quæ *in l. 35. ff. de minor.* habetur nec à foeminis aliena est. Proinde non multum refert, quod & nomine mariti sui veniat uxor. *Athuf. Dicaolog. l. 1. c. 29. n. 4.* siquidem ipsa, ut ut viro jungatur ignobili, ea tamen retinet quæ sunt genitricis suæ *arg. l. 10. C. d. Nupt.* in quâ expressè distinguitur inter foeminam à Clarissimo natam & Clarissimo junctam, & quidem eam ob causam, ut ita quasi tacitè innueret, ea quæ ex accidenti supervenirent, mutationibus quidem esse obnoxia, non verò, quæ ex origine paterna ducta jam ferè naturalia facta essent. *propter text. in l. 34. ff. d. Pact.* licet quoad effectus nonnullos à disputatione civili non eximantur *arg. §. Quod. autem Inst. d. Capit. diminut.* Idcirco statuimus, quamdiu statutum non repugnat, nec de altero tantum sexu legem accipiendam verbis expressis docetur. *l. 1. C. d. Condit. Insert. l. 93. §. 3. ff. Legat. 3.* tam diu filias maritatas etiam participare de Privilegiis familiæ concessis; Siquidem ejusmodi privilegia sunt realia, *Phil. Matth. ad l. 68. n. 29. d. R. I. & ipsæ de familia patris esse putantur. arg. l. 4. C. d. fidei comm. l. 195. §. 4. ff. V. §.* licet ratione conservandæ familiæ finis sint *per. d. l. 195. §. 5. ff. d. V. S.* Proinde etiam quoad privilegia, honores ac comoda jus suæ originis non perdunt. *Tiraq. l. 1. n. 37. de LL. conub.* Quamvis ex his nati illis non fruuntur, *p. l. 1. §. 2. ff. d. jure immunit.* Quod immunitas seu privilegia stricti juris sunt, atque ex foeminis nati extra familiam censentur *arg. §. fin. Inst.*

d. Patr. Potest. Dn. Han. ad Wes. d. jur. Immun. Secus autem hoc est, quando privilegium alicui pro se & descentibus concessum est. *Gail. 2. Obs. 2, n. 16.* quoniam tum omnes in infinitum tam nati ex foeminis quam ex masculis comprehenduntur. *per text. in l. fin. C. d. Legit. hered. & in Nov. 118. c. 1.* Quemadmodum liberorum etiam appellatione utriusque sexus veniunt liberi. *per l. 56. §. 1. ff. de V. S.* Nec superioribus quicquam obstat, quod *Tiraqu. c. 18. n. 6. d. Nobil:* scribit, mulierem etiam à morte mariti esse in familia viri, siquidem istud ultra honores, commoda & privilegia mariti non est extendendum. (2) Quoad nobilitatem & dignitatem *per l. fin. C. d. Incolis l. 13. C. d. Dignit. Gail. lib. 1. c. 6, n. 24. de Pac. Publ.* ut ut etiam antea ignobilis fuerit *l. 8. ff. d. senat. l. ult. C. d. Incol: Tiraquell. d. c. 18. n. 1.* adeò ut nec vidua illis exuatur *per l. 22. §. 1. ff. ad municip. l. 3. C. de Privil: Schol. Dan, Möll: P. 4, Const: 27. n. 5.* modo 1. luxuriosam vitam non elegerit *p. l. 7. v. de Cæteris C. d. revocand. donat: Nov. 39. c. 2. Peretz. ad C. de Dignit: n. 55. Dn. Brunn. ad l. 10. C. de Nupt.* Quod tamen de jure Saxonico non obtinet, quo foemina sine omni discrimine defuncto marito in pristinum, quo ante matrimonium fuerat, reponitur statum. *Land X. lib. 1. art. 45. Coler. Dec. 65. n. 2. & 3. Dn. Han. ad Wesenb. de Adopt. in fin: Nec. 2. minoris ordinis viro iterum nupserit p. d. l. 10. C. de Nupt. & d. l. 13. C. de dignitat.* his enim casibus illam pristini matrimonii splendorem ac dignitatem perdere nullus dubitat, nisi forte principali beneficio impetraverit privilegium dignitatis retinendæ prioris matrimonij. *per l. f. pr. ff. de Senat: vel virgo, antequam priori jungebatur, genere nobilis fuerit: arg. d. l. 10. C. de Nupt: ex qua Dd. multi colligunt dignitatem accidentalem, i. e. quæ uxori à marito primo contigit, contrarijs accidentibus, i. e. per matrimonia indigniora resolvi arg. l. 35. ff. de R. I.* Sed naturalem dignitatem, i. e. quæ ex origine paterna descendit, non perire, *Dn. Brunnem. ad d. l. 10.* Nec obstat. *l. 1. C. de dignitat:* siquidem illa non eò extendenda est, ac si nobilitas generis, cum mulier illustri nubit inferioris ordinis viro, omnino tollatur, sed quod obscuretur tantum atque caligine quadam obumbretur: Quod verò ad privilegia nobilibus principum liberalita-

beralitate ac lege concessa attinet, notandum est, suspendi illa, si statutum, aut lex accidens ponderet magis quam naturam. *arg. l. 7. C. d. Mulileg.* Tum enim uxor omnibus vectigalibus ac oneribus, quæ solis imperantur ignobilibus, erit obnoxia, nec vivente solum marito, sed etiam illo mortuo *per. d. l. 7. C. Mu- rilegul: ibi Non ambigat se sibi & liberis præjudicaturam.* Ast si dubitetur, potio- rem fore qualitatem favorabilem haud ambiguae est veritatis *add. Tiraqu. d. c. 8. n. 42* Et hæc ut jure Civili ita subsistant, moribus tamen Gentium nonnullarum insuper intro- ductum est, ut mariti etiam quandoque, præprimis si Reginam, Ducissam, vel comitissam duxerint in matrimonium, radiis cor- ruscarent uxorum suarum, maximè si dignitatem ab illis acce- pissent in dotem. *Tiraquell. d. c. 18. n. 39. & 40. Peretz. C. de Dignit: n. 50. & 51. (3) Quoad Privilegia per l. 6. C. d. Professorib. l. pen. C. de Fabric. tot. tit. d. Uxor. milit: Dn. Brunnem. ad C. d. Re milit: Peretz ad C. d. Fabrice, n. 11.* Ideoque uxor patroni in- jus vocanda non est absque venia *per l. 1. C. de injus vocand.* quo- niam ipsi æque reverentia debetur ac viro *p. l. 4. ff. Eod.* Non ta- men ex eo protinus inferre licet ad pœnam; Esset enim durius- culum pœnalia omnia, quæ semper restringi debent, ad conju- ges extendere velle *Dn. Brunnem. ad. d. l. r.* Præsertim quod di- gnitas, quæ uxori ex persona viri communicatur, non principa- lis est, sed competens in consequentiam. *Vid. Tiraqu. Gloss. 2. n. 58. & seq. de LL. Connub.* Sed quaeritur nunc an etiam vidua honestè vivens mariti defuncti gaudeat privilegiis? Quod affir- matur *per l. fin. C. de incol. l. 8. ff. de Senat. l. mulieres C. d. digni- tat. Tiraqu. d. c. 18. n. 5.* Sed tantum si illa fuerint realia *Peretz. C. de. Fabricens. n. 11.* Quapropter retinet forum, etiam quod ma- ritus ex privilegio habuit, *per d. l. pen. C. d. Fabricens. n. 11. Dn. Brunnem. ad d. l. ult. C. de incol.* eaque omnia, quæ concernunt judicia. Sed personalia ipsi non profunt, quia cum ipsa inter- cidunt persona *per l. 3. inf. ff. de censib. l. 196. ff. de Reg. jur. l. 7. ff. de Except. Dn. Brunnem. ad C. de Excusat. Muner.* nisi forte ma- ritus fuerit nobilis; tum enim de consuetudine pleraque nobili- tatis jura ad uxorem & liberos transeunt. *Peretz in. C. de Privil. Schol. n. 12.* Et denique 4. Quoad domicilium & forum illius

per d. l. 13. C. de Dignit. l. f. d. Incol. l. 19. ff. de jurisdic. l. ult. §. 3. ff. ad Municipal. Gail. 1. c. 6. n. 23. d. Pac. Publ. etiam ante traductionem in domum per l. Exigere ff. de Judic. Gail. 2. O. 80. n. 10. Non autem ante contractum matrimonium. l. 32. ff. ad municipal. adeò ut si quando etiam contingeret, ut fortè in patria uxoris maritus habitet, perinde tamen foret, ac si alibi sibi contraxisset domicilium propter l. 31. ff. ad municipal: Nec quicquam momenti id ipsum afferet personæ mulieris, siquidem hæc semper ejusdem, cujus vir, civitatis est ac originis. Tiraq. l. 1. n. 29. §. 30. de LL. connub. Etiam vidua, modo defuncti mariti domicilium iterum non deserat. Peretz ad C. de incol. n. 11. Nec tamen ideo originaria esse desinit, aut legibus patriæ suæ eximitur: hoc enim arbitrii non est l. 4. C. de Municip. l. 6. ff. Eod. Peretz. ad C. de mulier. in quo n. 5. Proinde illud non debet extendi ultra (1) effectum civilium munerum sc. personalium, quæ, in quantum illorum ipsa capax est, apud incolatum mariti subit. per l. unic. C. de mulier. in quo loc. Nam quoad honores & commoda retinet domicilium originis naturalis. Bar. ad l. ult. §. 3. ff. ad Munic. item quoad onera patrimonialia, à quibus mulieres non excusantur. l. 9. C. d. muner. Patrim. Ita tamen, si bona ibi habeat. Per d. l. un. C. de Mulier. atque illa rebus indicantur, ut tributis; namquæ personis propter res, ut collectæ, vel capitatio, imponuntur, sustinet in loco domicilij mariti; quia Patrimonialia onera extraordinaria regulariter non nisi subditis propter bona etiam alibi sita indicuntur. D. Brunn. ad d. L. un. Nec. 2. extra forum quod semper ex persona consequitur mariti, tam in criminalibus, quam civilibus. p. l. f. C. d. Incolis, quæ indistinctè loquitur, confirmatque id ipsum l. penult. C. d. silentiar: in uxore Silentiarij, ut si vel criminaliter conveniatur, id fieri debeat apud judicem viri, cujus forum, licet privilegiatam sit, uxor semper sortitur, per l. 6. C. de Professor. l. pen. C. de Fabricens. Proinde quicumque eam convenire vult, facere id debet coram judice, cui maritus subjicitur. Anton. Fab. in suo Cod. lib. 9. tit. 29. def. 27. adeò ut nec in dotis exactione uxoris domicilium, licet ibi contractus sit celebratus, attendi debeat, sed mariti per l. Exigere ff. de judic: add. Aruma: D. 7. ad hanc leg. th. 14. ex qua

ex qua D. etiam colligunt ; quod si diversa sint statuta vel consuetudines domicilij, mariti & uxoris, quoad bonorum divisionem attendenda esse statuta domicilij mariti, nisi matrimonium eo animo sit contractum, ut in domicilio uxoris habitent. *Covarr. d. Matrim. P. 2. c. 7. pr. n. 8. Ricc. Decis. 14. coll. 441. Da. Brunnem. ad d. Leg. Exigere propterea rectè docet Arumæ. lib. 2. Decis. 12. n. 28.* In contractu Dotis leges domicilii mariti inspiciendas & frequentandas esse. Siquidem hæ tam activè quam passivè mariti item uxoris afficiunt bona. *Treutl. Vol. 1. Conf. 19. n. 89.* adeò ut præcisè etiam uxor eas observare teneatur, sive sciverit, sive ignoraverit illas. Nam si admitteretur illa distinctio, subverteretur communis omnium doctrina, quæ domicilium mariti inspiciendum dicit. Quoniam mulieres etiam sui domicilij leges ac statuta plerumque ignorare præsumuntur, nedum aliena. *Vid. Tiraquell. Gloss. 2. n. 51. de L. L. connub.*

VIII.

Jus dirigendæ familiæ, seu ut sit præsul familiæ, principaliter pertinet ad Patrem, secundario ad matrem, exceptis liberis, in quantum solius Patris in potestate sunt, ejusque tantum sequuntur conditionem, quoad originem, familiam, dignitatem & privilegia.

Intuitu familiæ, quatenus jure proprio pro personis pluribus accipitur, quæ unius patrisfamilias potestati, vel naturâ aut jure subjiciuntur. *pl. 195. §. 3. ff. d. V. S.* alij dicuntur esse sui juris, alij alieno juri subditi. *pr. Instit. de his qui sui. l. 1. in pr. ff. Eod.* Et hi, qui extra potestatem dominicam, alieno subsunt arbitrio, vel disciplinam patiuntur domesticam, vel potestatem patriam. Secundum illam Paterfamilias princeps est & caput. *p. l. 196. p. ff. de V. S. & monarcha in suâ domo. Arist. 8. Ethic. 12. 1. Polit. 7. 12.* Dominari quippe debet, cui & corporis firmitas vires & prudentiæ & consilij opinio Authoritatem pariunt *Tiraquell. Gloss. 1. in L. Connub. n. 47. & 50.* Ita tamen, ut & regiminis hujus domestici consortem faciat matremfamilias, quæ suo

suo modo post ipsum præsit familiæ, *Dn. Struv. Ex. 3. Th. 33.* Si-
quidem hæc ad domum administrandam & conservandam à na-
turâ quasi apta nata videtur. *Supr. Th. 6. Chassan. Catalag. Glor.*
Mund. l. 2. Conf. 29 Tiraquel. Gl. 1. in l. Connub. 10. n. 16. qui inter
alia *ibidem* refert, apud Græcos, Romanos, Gallos, & cæteros
omnes fere populos, jure naturæ viventes, domesticum labo-
rem matronalem fuisse, & negotia domestica mulieri tradita
esse, unde quoque profectum esse arbitratur, quod *Bart. in l. Ti-
tia cum testamento §. ult. Col. 2. versu. Quæro quid si dixerit & c.*
ff. de Legat. 2. scribit, uxores nostras Dominas domus vocare
solemus, propter præminentiam, quam illi domi relinquimus:
Eique multum adstipulatur, quod mulier *in l. 195. §. f. ff. de V. S.*
familiæ suæ caput dicitur, quoad reifamiliaris administrati-
onē, *Suev. c. 4. ad. d. l. 195. d. V. S.* & præterea cum eadem. *p. l. 1. ff.*
d. R. N. nuptiis divina & humana jura communicantur. Nec
multum interest, quod ipsa viro suo sit obnoxia *Th. 7.* Id enim
intelligendum est politicè, ita ut & illi in quibusdam permitta-
tur imperium *Arist. 1. Polit. 12.* Vel si voluntatibus inter se discor-
dent, ut uxor sciat revereri maritum, ejusdemque cedere autori-
tati. Siquidem communiter prope receptum est, ut mulieri,
quotiescunque illa concurrat cum masculo, præferatur masculus
p. l. 1. ff. de senator. l. f. ff. de fide Instrum. Ita masculus & foemina
patroni quando discordant in præsentando, vox præfertur mas-
culi: & in substitutione exemplari, cæteris paribus, attenditur
substitutus à patre. *Decius. ad l. 2. pr. ff. d. R. I. n. 47.* Proinde
etiam rectè inferitur, si pater & mater de nuptiis liberorum inter
se dissentiant, patrem audiri debere & obtinere. *Harpr. ad pr.*
Inst. d. Nupt. n. 82. Schneid. Inst. de Nupt. P. 2. 38. Præsertim
quod hic & prudentior æstimatur, & liberorum maxime adulto-
rum onera majora multo & graviora sustinet, quam mater. *Enenc.*
Priv. 1. c. 5. n. 10. de Privil. Parent. cum in alimentis præstandis.
p. l. 5. §. 7. & 14. ff. de agnoscend. & alend. l. 9. C. de Patr. potest.
tùm in dotibus & donationibus propter nuptias subministran-
dis *l. 19. ff. de Ritu. Nuptiar. ad quæ mater tantum tenetur in sub-*
sidium *Enenc. Privil. 7. c. 4. n. 11. it. Priv. 3. c. 1. n. 5. de Privil. Par.*
Dn. Han. ff. ad. Tit. de Agnosc. & alend. liber: n. 4. it. de Jur. dot. n. 3.
Secundo

Secundum hanc, patriam puta potestatem, dubio omni caret, eam
foli competere patri, omnibusque in lineâ paternâ ascendentibus
*S. f. Inst. de par. potest. l. 4. ff. de his qui sui l. 8. ff. de Agnosc.
lib. non verò matri avoque materno S. fœmina Inst. de Adopt.* Ipsa
siquidem, simulac viro nupserit, ejus profitetur familiam, in eaq;
liberos parit. *p. l. 195. S. f. l. 196. S. 1. ff. de V. S.* quapropter potestas
hæc patria alibi admodum appositè dicitur familia *l. 5. ff. de his
qui sui. potestas familiæ l. 10. C. de suis & legit. Nexus paternus.
l. 6. S. 3. C. de bonis qualib. Mejestas patria ap. Liv. l. 8. c. 7. ad d.
Harpr. pr. Inst. de Patr. potest. n. 13. Ludw. D. 2. Th. 1. lit. D.* non
quidem quod potestate omni simpliciter & quatenus ex jure na-
turæ descendit, mater privetur; sed tantum quatenus illa juris est
civilis relatè ad Remp. Romanam, & novis qualitatibus & effecti-
bus specialibus ab ea aucta est & efformata *Dn. Stru. Ex. 3. Tb. 17.
Gudel. l. 1. c. 13. de Jur. Noviss.* Atque hæc ratione filius matri, ut
patri *S. 1. Inst. per quas pers. l. 79. ff. de Acquir. hered.* non acqui-
rit. Siquidem vox filii in acquivendo vox patris tantum cen-
setur *S. 4. I. de inutil. stipul.* nec ipsa parte mortuo succedit in usu-
fructu, qui alias in bonis adventitiis patri debetur. *S. 2. Inst. per
quas. person.* licet Jure Saxonico matres bona liberorum jure
paterno administrent, fructusque lucrentur, donec adolescant &
ab iis separentur. *Dn. Han. Exercit. 8. de Jure Fornes. Conclus. 40.
Diss. Dn. Carpz. 6. resp. t. 7. r. 70. n. 4.* cui respondet *Dn. Nicht: var.
jur. decis. 18. n. 11. & seq.* Nec potest filiū vel summæ necessitatis calu
vendere aut alio modo alienare *p. l. f. C. de Patrib. qui fili distr.
Arumæ. Ex. 2. Th. 3. Ludw. D. 2. Th. 1. lit. E. Dn. Brunn. ad d. l. f. C. de
Patr. qui fil.* quamvis æquitate naturali sec9 id videatur. Censetur
quippè ipsa natura jus dare ad id omne sine quo obtineri non po-
test, quod ipsa imperat. *Grot. lib. 2. c. 5. n. 5. d. I. B. & P. Diss. Dn.
Han. ad Wes. de Adopt.* Nec adoptare *S. 10. J. de Adopt.* nisi indul-
gentiâ Principis in solatium librorum amissorum, & quidem
quoad effectum successionis tantum. *l. mulierem C. de adopt.* si ta-
men patriæ potestatis mentio nulla insuper facta fuerit. *Zoes. ad
ff. Eod. n. 6.* Nec Testamento filio tutorem dare, *arg. S. 3. Inst. de
tutel. S. 10. Inst. de Adopt. l. 1. S. 1. & 2. l. 2. l. 3. ff. de Testam. tut. l. 1.
C. Eod. Nov. 118. c. 5.* si tamen instituerit eum, per ipsam datus tu-

F

tor ex

tor ex inquisitione omnino confirmabitur. *per l. 4. ff. de Testam. tut. l. 1. C. de confirm. tut.* sin minus instituerit, committendum est arbitrio iudicis, an expediat pupillo nec ne, ut datus confirmetur. *Arg. l. 4. C. de Testam. tut. add. D. Brunnem. ib. licet Zocsius in d. l. 4. Neg. redundare putet. ad C. de Testam. tut.* Nec denique liberis substituere pupillariter. *l. 2. ff. de Vulg. & pupil. subst.* nisi jure fideicommissi, & si directis verbis usa sit, solent ea obliquari, ut in vim fideicommissi valeant. *Dn. Carpr. Juris pr. for. c. 8. p. 3. d. 17.* vulgariter autem mater recte quoque substituit. *p. l. 33. ff. de Vulg. & pup. subst. Dn. Han. ad Wesenb. ib. n. 5.* Neque propterea, periculum est ne ita juri naturæ fieret præjudicium. *Vid. E-nenck. Priv. 1. c. 5. n. 9. & seq. de Privil. Parent.* tantum quippe abest, ut jus civile matri pietatem, reverentiam & naturalia obsequia neget, ut potius ea magis magisque confirmet. *p. l. 7. C. de Testam. manum. l. 2. C. de Question. l. 6. ff. de in jus vocand. l. 4. C. de Patr. Potest.* adeo etiam ut filius, si contra reverentiam matri debitam impiè quid moliatur, graviter à Judicæ ex officio debeat viudicari. *Dn. Brunnem. ad d. l. 4.* Cœterum, quod de conditione liberorum adhuc restat, notandum est, illos patrem sequi non matrem *l. 36. & 44. C. de Decurio* nisi sint spurii *l. 1. §. f. ff. ad Munic. l. 1. §. 2. ff. eod.* vel forte privilegio aliquo materna censeatur origo, *l. 1. §. 2. ff. Eod.* Ideoque (1) filius quoad munera, rectè ad patris spectat originem, sc. unde pater oriundus est, non ubi habitavit. *p. l. 6. §. 1. ff. Eod.* alias enim ex sæpius mutatâ habitatione patris originem etiam mutaret filius. *Dn. Brunnem. ad l. 4. C. de Municip.* Proptereaque concedendum non est, ut filii origo naturalis censeretur locus ille, ubi ipse in transitu forte natus esset, cum tamen pater commorari aut habitare ibidem, in animû nunquam induxerit. Præsertim, quod filius nec in matris civitate compelli possit ad munera, licet ibi natus sit. *p. l. 4. C. d. t. l. 36. C. de Decurion.* sed huic juris civilis observantiæ generali tandem Germaniæ consuetudine est derogatum, & quilibet hodiè illius civitatis civis censeatur etiam quoad munera, quam incolit. *Gail. 2. Ob. 36. n. 7. & 10. Paurm. l. 2. de Jurisd. c. 8. n. 38. Dn. Han. ad Wes. ff. ad municipal n. 4.* licet olim, translato domicilio non nisi jurisdictioni illius loci quis subjiceretur. *l. 7. C. de Incol. l. 190. ff. de*

de V. S. vid. Goedd. ad hanc. leg. Nec obstat l. 5. C. de Municip. l. 6. p. ff. eod. Quippe hoc in thesi dundaxat obtinet, & quatenus quis procreatus est à patre hujus vel illius loci incola, non vero in hypothesi, & quoad effectus h. e. quatenus obligatur filius in origine paternâ subire honores s. munera. Id enim dispositioni civili atque adeò mutationi semper manet obnoxium. *arg. S. penult. Inst. de Capit. diminut. (2) Censetur filius in familia esse paternâ p. l. 196. §. 1. ff. de V. S. §. 1. Inst. de legit. cognat. tut. add. Th. 7. (3) Gaudet dignitate & honoribus paternis. l. 36. C. de Decurion. l. 9. & 10. ff. de senator. l. 1. C. Dign. Nihil quippè usu est frequentius, quam nobilium clarorumque ac magnorum filios, non minus quam parentes ipsos nobiles clarosque haberi. Quemadmodum hoc optimè doceri potest exemplo Commodi, qui defuncto patri in imperio succedens inter alia his magnificè gloriabatur: Nunc me inquiens, post illum, vobis fortuna principem dedit, non quidem ascititium, quales ante me fuerunt, neq; velut acquisito imperio gloriantem. Quippè unus vobis natus educatusque in aula, privatisque intactum cunabilis, statim me ut ex alvo prodieram imperatoria purpura suscepit, simulque sol hominem me vidit & Principem. Hæc cum animis vestris reputantes, jure Principem colite nou datum vobis sed natum *Herodia. lib. 1. c. 5. Histor.* Talis enim præsumitur filius, qualis est pater. *Grammat. deci. 18. in pr. Rol. à Valle Vol. 3. Conf. 1. n. 42. Althus. Diealog. l. 1. c. 30. n. 5.* Sed quæritur hic num filius ante dignitatem natus participet de dignitate patris, post nativitatem ipsius adeptâ? quod affirmatur *p. l. 5. ff. de senator. nec obstat l. 11. C. de Dignitat.* licet enim in principio inter plebejos & privatos numeretur, id tamen infra *in ead. l. vers cum autem paternos.* corrigitur, & deciditur ad eundem modum, quo hæc quæstio conceptis verbis deciditur ab *Ulp. in d. l. 5. add. Dn. Han. ad Wesenb. ff. de senat. f.* idque ideò quia pater & filius una persona sunt & quod alteri datum est, alteri quoque tribuitur. *Enenc. priv. 3. c. 1. n. 28. de Priv. Parent. add. Grot. l. 2. c. 7. n. 28. d. J. B. & P. Tiraquel. de. Iur. Privig. Q. 31. Hottom. 2. Illustr. Q.* alias jure stricto filius natus ante clarissimum vel illustratum, non videtur clarissimus vel illustris, idque innuit, *l. 61. & 63. C. de Decurion.* ubi tantum natus*

ex illustri vel administrante vel administratione perfuncto curiæ non tenetur. *Peretz. ad Cod. ib. n. 68.* Et denique (4) Privilegiis fruitur patris. *p. l. 2. C. de prepos. agent. in reb. l. 11. C. de Q. l. 5. ff. de Pœnis l. 2. & 4. C. de Episc. & Cler. Accac. Enenc. Priv. 3. c. 1. n. 24. seq. de Priv. Parent. Distinguunt à. Dd. ad l. 2. §. 4. C. de Episc.* maxime quod privilegia competant aut ratione Dignitatis, & tunc ad filios etiam post mortem fratris trasire. *p. l. 8. ff. de Senat.* aut ratione officii & competere liberis vivente patre, *d. l. 2. §. 4.* aut ratione necessitatis & non transire. *Card. Tusch. Cocl. 746. l. P. Menoch. l. 3. præf. 103. Amplif. Dn. Brunnem. ad. d. l. 2. C. de Episc.* quamvis jure staturario nonnunquam liberi etiam matris suæ dignitate & privilegiis gaudeant. *Vid. Perez. ad C. de Decur. & Incol. n. 39.*

IX.

Reltione habita ad res & quidem r. inter vivos, Viri potiores sunt fœminis, quod munerum civilium soli propriè sunt capaces, nisi fortè vel inhabiles sint, aut excusentur, aut ob indignitatem removeantur.

L. 2. pr. ff. de R. I. l. 1. §. 5. ff. de Postuland. l. 2. ff. ad Sct. Vellej. Quoniam verò vocabulum muneris generaliter de donis, oneribus & officijs intelligitur, idcirco oppido notandum est (1) Munera civilia referri hic ad civilem duntaxat administrationem, quatenus animi cum provisione & corporalis laboris intentione expediuntur *p. l. 18. §. 1. ff. de Muner. honor.* (2) eadem hic profus esse, quæ *in d. l. 2. p. d. R. I.* officia civilia vel publica dicuntur; ubi particula vel declarativè non disiunctivè accipienda est, ita ut eandem penitus vocis utriusque inducat significationem, nec civile aliud sit quam publicum, nec publicum aliud quam civile. *Phil: Matth. ad d. l. 2. pr. d. R. I. n. 4. & 5.* utcunque Callistratus *l. 14. §. 1. de Muner.* per munus publicum id saltem innuat, quod in ad ministranda Rep. cum sumtu sine titulo honoris obimus: siquidem idem in *l. 17. §. 2. ff. de Excusat: Tut:* munera publica etiam ea dicit, quæ *d. l. 14.* pro privatis venditat. (3) Civilium munerum appellatione venire hic non magis quæ cum onere tantum, quam quæ cum dignitate simul conjuncta sunt. *Vid. Benckend.*

Benckend. ad dict. l. 2. pr. d. R. J. membr. 1. Premiſſ. 2. n. 3. Nec obſtat quod *Pompon. l. 239. §. 3. ff. de V. S.* munus publicum definiat officium privati hominis, ex quo commodum ad ſingulos univerſosque cives remque eorum imperio magiſtratus extraordinario pervenit: Uſurpatur enim Munus publicum vel latè ita, ut etiam honores contineat; *arg. l. 78. ff. de Jud. l. ult. §. 13. & 14. ff. de Munerib. l. pen. ff. de Vacat. & Excusat:* vel ſtrictè, pro officio hominis duntaxat privati, *p. d. l. 239. §. 3.* quia cui munus imponitur non fit exinde perſona publica, eſt enim ſine titulo Dignitatis *d. l. 14. §. 1. de Muner. & honor:* Nec imponitur perſonæ publicæ aut honorem ſuſtinenti munus. *l. 10. Eod.* Dicitur tamen iſtud publicum (1) reſpectu finis, & objecti, in quantum conſiſtit in adminiſtranda republ. & commodum ad univerſos redundat. *Wegnerus ad l. 18. ff. de V. S. n. 8.* (2) reſpectu authoritatis & impositionis. *§. 1. Inſt. de Excusat: Tut:* Quapropter jam hiſta præmiſſis, generaliter ſtatuiſmus omnes omninò maſculos munera & officia civilia vel publica ſivè dignitatem habeant ſivè onus, ſolos propè ſuſtinere debere *p. l. 9. in multis ff. de Statu hom: maximè autem p. l. 1. §. 5. ff. de Poſtulant. l. 1. ff. ad SCr. Vellej:* in quibus idcirco ea & virilia dicuntur, adeò ut etiam inviti officio Magiſtratus extraordinario ad ea ſubeunda cogi poſſint, ut potè pignoribus captis aut metu vinculorum *d. l. 239. §. 3. ff. de V. S. l. 14. §. ult: ff. de Muner. & honor. Wegner: ad d. l. 18. n. 10.* Exceptis tamen iis (1) qui inidonei ſunt. *l. 11. in ff. de Muner. & honor.* (2) qui ſe excuſare poſſunt vel ob ætatem valetudinem aut aliam ob cauſam; *Vid. Weſenb. ff. de Vacat. & Excusat. mun: n. 3.* (3) Qui removentur ob indignitatem, quales ſunt abſciſſi, quibus virilia ex ſecta ſunt, ut pote ſemiviri. *Alex. ab Alex. l. 5. c. 4. Genial. dier. Perez. ad C. de Eunuch: n. 4.* & in fameſ: Hi quippè ab honoribus & Dignitatibus repelluntur, neque Reip. adminiſtrationem ulla ex parte attingere poſſunt. Quia honeſtis Viris credenda eſt Reip. tractatio *Nov. 15.* Neque debent infameſ cum hominibus integræ famæ in Dignitatibus participare. *l. neq; quis C. de Decurionib. l. 3. de Remilit. neq; iſſis portæ Dignitatum patere l. 2. C. de Dignit. c. in famibus de R. I. in 6.* Sicut hoc ipſum exempla late ab infamibus repulſæ paſſim declarant.

Ut in *l. 3. C. de Re milit. l. 1. ff. ad L. Jul. amb. l. 1. ff. ad Leg. Jul. de vi privat. l. 17. C. de dignit.* Licet muneribus, quæ oneri potius quam honori sunt. *p. l. un. C. de Infamib.* iisque omnibus officiis, quæ vilia & humilia sunt, omnique prorsus destituuntur dignitate, ut potè præconium vel apparitio. *Vid. Freber. de Existimat. l. 3. c. 25. per tot.* non eximantur; cum pœna præmium conferre, non debeat. *l. 12. C. de Decurion.* præsertim quod & antea adqui sita dignitas, tollitur infami. *l. 8. C. de Decurion.* Sed quoad privilegia tantum, non quoad onera: adeò, ut neque ex eo tempore ad ejusmodi honorem adspirare amplius possit: *Freber. de Existimat. d. c. 25. n. 5.* Superveniens autem dignitas infami per eos non eripitur, qui ejus admissioni, vel electioni interfuerunt & consenserunt; debuissent enim ab initio contradicere. *p. l. 13. §. ult. ff. de Decurionib.* turpius quippè ejicitur, quam non admittitur hospes: *Peretz. ad C. de Infam: n. 4.* Quær. infamis an Notarius esse possit? Quod negat *Dn. Hahn. ad Wes. de his qui notantur infam: n. 8. Dn. Brunnem. ad C. de Infam. it. Q. 41. ff. de his qui notant. infam:* Est enim dignitas, & iudices vocantur, eisque plus quam aliis duobus creditur. Diximus præterea *solos propè;* licet enim fœminæ ab omnibus civilibus officiis repellantur, sunt tamen munera quædam ita comparata, ut nulli magis convenient quàm mulieribus, *l. un. C. de Mulierib. in quo loco.* ut potè quib9 vacant obstetrices in sublevandis enixibus puerperarum, in spiciendoque ventre *l. 1. ff. de Ventr. in spic. l. 1. §. 2. ff. de Extraordin. cognit. & medicæ mulieres in curandis partibus,* quas verecundia sexus non patitur viris detegi. Perindè ut etiam in benè constitutis Rebuspubl. ejusmodi mulieribus salaria dependantur ex publico, & culpa illis æque ac Viris imputetur, si qua noxia medicamenta dederint, aut supposuerint, *l. 9. ff. ad L. Aquil. Cujac: lib. 17. c. 37. Perez ad C. de Mulierib. in quo loco n. 7. & 8. cætera persequemur in sequentibus.*

X.

Proinde mulieres jure civili ab omnibus officiis virilibus sunt remotæ & quidem (1) ab iis quæ honorem habent, cujusmodi sunt Legatorum, Magistratum, Judicum,

dicum, Adfessorum, & Arbitrorum ; (2) Quæ absque honore sunt sed autoritate ac utilitate publica, cujusmodi sunt, quibus ministri Judicum, Exactores tributorum, Argentarij, Delatores, & qui actione experiuntur populari, defunguntur: (3) Quæ Autoritate duntaxat sunt publica, ut pote Notariorum Publicorum, Advocatorum Procuratorum, Syndicorum, Tutorum atque Curatorum. Et denique (4) ab omnibus ferè negociis, quæ ad publica spectant & in publico celebrantur, ut Comitia.

Sunt mulieres enim propter sexus & judicij imbecillitatem deterioris longe condicionis masculis. *sup. Th. 1. nec convenit verecundiæ ipsarum vel pudori virilibus sese immiscere officijs l. 1. §. 5. ff. de Postul.* Contra naturam sexus quippe foret, si temerè in cœtus ingererentur virorum: *per. l. f. C. de Arbi; l. 2. §. 1. de his qui veniunt etat.* Proinde etiã sexui fæmineo haut illudunt vel invident, qui honestatis observantes à muniis illum civilibus excludunt. Facta enim, quæ lædunt verecundiam, pietatem, existimationem aut bonos mores corrumpunt, nec facere nos posse credendum est. *l. 15. ff. de Condit. Instit. l. 79. ff. de Jure dot. c. 58. de R. I. in 6.* Ex quo herclè (1) partium voluntate constitui non potest, ut fœminæ, exceptis patrimonialibus & mixtis *sup. th. 7. civilia obirent mœnera.* Certi est enim ac indubitati Juris, privatorum pacta honestati & bonis moribus non derogare. *p. l. 6. C. de Pact. l. 26. ff. de V. O. l. 7. §. 3. l. 27. §. 4. ff. de Pact.* (2) Nec consuetudine induci: Irrationabilis siquidem est ac corruptela, potius, quæ honestati repugnat *Benckd. ad d. l. 2. de R. I. P. 2. Art. 1. m. 1. n. 41.* Nec (3) statuto convalescere: Quod consuetudo & statutum procedunt à pari. *Dec. in l. de quibus ff. de LL.* Nec deniq; rescripto Principis impetrari: Licet enim magna Principis sit Autoritas, adeò ut de potestate ejus disputare non liceat: *l. 2. C. de Crim. Sacrileg.* Attamen quæ sunt de honestate jure naturæ ac divino ab ipsius non pendent arbitrio. *Panorm. c. Non est n. 5. & 7. de Voto Eccl. Benckend. d. loc. n. 80. & seqq.* Quod etiam procedit, licet fœminarum aliquæ discretæ sint & prudentes sum-

tes summæque præterea dignitatis. Tum enim non minus habenda est ratio honestatis, quæ illas in cætu virorum versari, aut ea, quæ virorum sunt, in se recipere perinde prohibet, *Benckend. d. loc. n. 30.* atque viros refrænat pudor, ne iis implicentur officiis, quæ propria sunt mulierum. *Th. præced.* Quamvis hoc ad eò simpliciter accipi debere non arbitremur; Possunt enim mulieres ad officia quoque civilia admitti, modo extra turbam ea in camera expediant aut per substitutum: Nec officit, quod in iis personæ maximè consideretur industria. *l. 1. in p. l. f. §. 1. ff. de Muner: & honor:* quod ea, in quibus personæ diligentia spectatur & prudentia, per alium expediri nequeant. *p. l. 31. ff. de solut. l. 11. in f. de Legat. 3.* Quippe hoc non obtinet, ubi vel expressè aut tacitè inter contrahentes id est remissum; Proinde etiam hoc multo magis in consuetudine, statuto vel rescripto Principis concedendum erit, ad eò ut, quotiescunque his fæmina ad munera recipiuntur civilia, semper id intelligatur procedere eo, quo valere potest, modo. Nam cui jus datum ad aliquid, illi quoque concessa videntur ea omnia, sine quibus illa explicari non possunt. *p. l. 2. ff. de Jurisdic.* Sed opus tandem erit ut progrediamur ad specialia. Ubi ante omnia observari meretur, civilium, à quibus mulieres removentur, officiorum variam omnino & diversam esse rationem. Sunt enim alia, quæ in Reip. administratione præcisè consistunt & annexam habent dignitatem. Alia, quæ itidem Reip. principaliter velificantur, sed absque dignitate tamen; alia denique quæ principaliter singulorum promovent utilitatem & consequenter demum Reip. ac in quantum singulis subveniendò universis consulitur. Quapropter, juxta primum ita statuendum, fœminas honoribus publicis, qui circa administrationem Reip. occupantur, *p. l. 14. p. ff. de Mun. & honor.* defungi omninò non posse, atque ita (1) Nec Legatorum munus obire, cum Reip. fortè vel alia de causa à principibus suis mittuntur ad exteros. *p. l. 4. §. 1. ff. de Legat.* Atque hoc non propter dictas modò rationes, sed etiam cum ob rei gravitatem, quæ viros vel prudentissimos usquè; exercitatissimos persæpè maximè torquerè solet, tùm propter pericula, quæ apud Barbaros frequentissimè obveniunt. Jam verò Mulieres natura sunt timidi-

ores

ores *arg. l. 18. p. ff. de Quæst: Dec. n. 43. ad l. 2. ff. de R. I. & destitu-*
untur plerùmq; dignitate, quæ propria virorum est. Cic: 1. Off:
Venustas enim, quâ mulieres admodum deliciantur, amorem ma-
gis invitare potis est, quam conciliare Authoritatem, quâ tamen
Legatis, ut Principum suorum Majestatem ritè tueantur, apprimè
opus est. Nec (2) Magistratum gerere. p. d. l. 2. p. ff. de R. 7. l. 3. §.
3. ff. de. Muner: & honor. Est enim hic administratio cum dignita-
te. p. d. l. 14. ff. Eod. Sed limitatur (1) si inter foeminas is sit susci-
piendus: Prout videre est in Abbâtissa, quæ monialibus modera-
tur. Br. in l. 1. C. de dignit: l. 1. C. de mulier: & in quo loc: Dec: ad
dict. l. 2. n. 10. Sed ita, ut eas vel excommunicare vel absolvere,
non possit, Dec: d. l. 2. n. 39. utcunq; dignitatem habeat cum ad-
ministratone. Id: n. 10. Est enim excommunicatio & absolutio de
potestate clavium, quam foemina non habent. Quippè istæ æquè
ac in civilibus ad ordines Ecclesiasticos adspirare non possunt, & si
ordinentur, non tamen recipiunt characterem. ut p. Gloss: 27. q. 1.
in c. Diaconissam. not: Abb. in c. nova. de pœnit: & remiss. & facit text:
c. f. Dist: 32. Dec: d. loc. n. 39. Et ut Jure veteri id aliter videatur: p.
Nov. 6. c. 6. l. Nullam. C. de Episcop. & Cler. Non tamen illarum,
puta Diaconissarum verus ordo sacer fuit, qualis Diaconorum,
cum ad ministeria sacri altaris sexus muliebris nequaquam admit-
tatur c. sacratas dist: 24. sed fuit diversum quoddam ministerium
earum, benedictione quadam conferri solitum, in officijs sexui
illi convenientibus, aut pietatis saltem exercitium; prout hodiè
non monialibus saltem, sed canonicis etiam vel alterius nominis
sanctis foeminis munera psallendi in templo aut pietatis commen-
data sunt. Gudel: l. 6. c. 6. de Jure Novis: add: Dec. ad d. l. 2. n. 40.
& 41. Quibus insuper hoc addere libet, etiamsi à rebus spirituali-
bus excludantur foemina, nihilominus tamen easdem hodiè frui
jure Patronatus in Ecclesia. c. cum dilecta 16. X. de concess. præb.
(2) Si dignitas aliqua sit absq; administratone, vel eam ex perso-
na patris vel mariti habeant mulieres. Benckend: P. 2. Art. 1. m. 3.
fall: 1. & 2. Ista tamen dignitas, quæ fæminis ex persona aliorum
conceditur, non est ita potens, sicut est illa, quæ ex propria perso-
na competit: vid. Dec: ad dict: l. 2. n. 7. (3) si ex consuetudine aut
concessione Principis vel jure hæreditario ad eam pertineat magi-

G

startus

stratus: & tunc quidem eum suscipere potest sed gerere non nisi per
substitutum. Proinde eatenus, quâ foeminae magistratu non fun-
guntur, porrò hoc inferimus, eas nec statuta condere posse. *Dec:*
n. 36. quæ tamen rectè alias faciunt magistratus, si secundum vel
præter jus sunt *t. tit. de decret: ab ord: fac:* etiam absque speciali
Summi Principis indultu, *arg. l. 5. Eod:* licet hodiè indigeant con-
firmatione, si à magistratu municipali, non à statibus Imperii, con-
dantur. *D. Han ad Wes: de LL. n. 3.* Ubi adhuc obiter hoc nota-
mus, Decium *d. l. n. 37.* insuper statuere, pari ratione mulieres nec
consuetudinem inducere posse: Quod tamen miramur, cum illa
tacito populi introducatur consensu *p. l. 32. l. 35. ff. de LL.* semperq;
ejus ignoretur principium. *Dn. Han. d. loc: n. 11.* Nec (3) Judices
esse: Sunt enim præter supra dictas rationes etiam avaræ *sup. Th. 1.*
quam ob causam Proconsul jubetur proficisci in Provinciam absq;
uxore; vel si nolit, rationem & vindictam ab ipso exigi debere,
statuitur, si quid ab eâ per avaritiam admissum fuerit. *p. l. 4. §. 1. ff.*
de Off. Procons: Forstn: lib. 2. Not: Polit: ad Tacit: nimisque ad mi-
sericordiam faciles: quod tamen constantis ac recti Judicis non
est. *l. 19. §. 1. ff. de Offic. Presid.* Quod etiam ad Augustam extendit
Pruckm. l. in multis mem. 1. art: 1. n. 15. ampl. 2. ff. de statu hominum.
Et licet ipsa præ aliis mulieribus magnam habeat præminentiam.
l. 31. ff. de LL. neque legibus civilibus, fere ut Imperator, sit subje-
cta, sed ab iis soluta. *l. 26. C. de donat. int: Vir & Ux:* Non tamen
deponere potest honestatem atque verecundiam; Siquidem hæ
non ex juris civilis dispositione obligant, sed ex jure naturæ & Gen-
tium vim atque pondus habent. Limitatur tamen (1) si mulier
inter foeminas judicet, Abbatissæ instar, quæ Jurisdictionem exer-
cet inter moniales: Non quidem quod animadvertere in illas aut
gratiam delicti facere possit, sed ut judicium saltem depromat su-
um atque superiorem imploret, qui sententiam exequatur. *Benck.*
§. 2. Art: 1. m. 3. Fall: 5. ad L. 2. de R. I. (2) si res ad foeminas spectet.
l. 1. ff. de Vent: Inspic: (3) si Jurisdictionem habeat: Concesso enim
territorio, concessa quoque videtur Jurisdictio, quæ territorio
adhæret: Undè etiam optimè infertur, Fæminas inter Vasallos
suos judicare posse: *Arumæ, D. Feud. 3. Th. 18. Dn. Struw. Syntag.*
Feud, c. 5. Th. 3. Abbatissam & Comitissam inter suos subditos
Peretz

*Peretz C. Mulier: & in quo loco: Et denique omnes, quæ ad id vel ex consuetudine vel ex statuto, vel per Rescriptum Principis jus habent: sed tamen secundum rectæ rationis dictamen, ut vel in camera aut per viros illius fiat exercitium. vid. Peretz. d. loc: n. 13. Nec hoc tantum ad Personam Judicis restringendum est, sed etiam ad eos extendendum, qui vel Judici in cognoscendis causis adsunt, vel ei æquiparantur: Ideoque (1) foeminae Assessorum sustinere personas nequeunt: Ubi enim eadem est ratio, ibi quoque eadem legis est dispositio. Quamvis domi quandoque Judicem admonere non prohibeantur exemplo Berenices; Nam cum Ptolemæo ad tesseras sedenti & alea ludenti quidam assistens capitis reos recitaret, ut in eos decerneret supplicium, protinus ipsa accessit, & accepto libello è pueri manibus non permisit, ut ad finem usque legerentur, dicens, non sic obiter rem tractandam esse, quum de hominis salute quaeritur, sed altius cogitandum & relinquenda ludicra: Non enim simile esse casum tesserarum & corporum. *Ælian: l. 14. c. 43. var: hist.* Nec (2) arbitræ esse possunt: *p. l. f. C. de Arbitr. sunt enim arbitria ad instar judiciorum redacta. l. 1. § 7. ff. de Recept: arbitr: Nec hoc secus est jure Canonico, c. dilecti 4. de Arbitr: Benckend: P. 2 Art: 1 m. 2. Fall: 6. d. l. Dis: Dn. Han. de differ: Jur: Civ. & Can: Th. 4. Arbitratrix autem esse possunt. Ungep: lib. 1. Decret: tit: 43. de Arbitr: n. 7. add. Benck: dict. fall: 7. n. 3. Observandum porro est, Nos hic tractationem de Assessoribus & Arbitris non principaliter instituisse, quippe per illos Præsidis potius quam Reipubl. interesse promovetur *Dn. Brunnem. ad l. 1. C. d. Adsector. per hos vero partium, quæ compromiserunt, aut alias compositioni amicabili student, sed incidenter & propter affinitatem horum cum iudicibus. Juxta alterum prohibentur foeminae ministeria. Magistratui & iudicibus commodare, cujusmodi sunt Actuariorum, viatorum & Apparitorum, tributorum exactorum, executorum, vid. Dec. ad l. 2. pr. ff. d. R. I. n. 21. & 23. Est enim ratio d. l. 2. generalis: Proinde qui foeminas civile munus obire posse contendit, tenetur probare; siquidem, qui regulæ insistit, pro se habet intentionem fundatam; adeo ut, si quis exceptionem prætexens probatione destituatur, regula palmam ferat *arg. l. 4. §. 1. ff. d. heredit. Petit, & l. 5. ff. d. Probation. Philipp. Matth. ad l. 1. n. 34.****

ff. d. R. 7. Quod autem hic etiam ab executionis munere exclusimas
foeminas, intelligendum eo casu, quo in iudicio explicari debet:
Extra iudicium enim, in ultima voluntate videlicet, executrices es-
se non prohibentur *l. à filio. p. ff. de Alim. leg. Dec. d. l. 2. n. 21.*
Petr. Peck de Testam: conjug. l. 1. c. 20. Dan. Moll; P. 2. Const: 15. n. 53.
executio enim instar piæ habetur causæ, *Gudel, d. jur. Noviss. lib. 2.*
c. 9. cujus mulieres expertes non sunt, modo per eam non extra-
hantur in publicum, atque ita pudor ipsarum suggilletur. Repel-
luntur porro ab officio Argentarij per *l. penult. ff. de postuland.* ab
actionibus popularibus nisi earum inter sit. per *l. 6. ff. de popul. a-*
ction à Delationibus per l. 17. ff. d. jure fisc. adeoque ab omnibus ac-
cusationibus publicis *l. 8. ff. de Accusat:* Nisi suam suorumque, in
quos invitæ testimonium non dicunt per *l. 2. ff. eod.* injuriam pro-
sequantur *l. 8. c. qui accusari non poss.* nec alius quisquam sit, qui il-
lam injuriam vindicet *l. 5. C. Eod.* vel delicta sint mulierum quæ
ipsæ melius cognoscunt. *Dec: d. l. 2. n. 24.* vel ea ita sint comparata,
ut specialiter etiã mulieres admittantur *l. 12. C. Eod.* præprimis ubi
mulier non tenetur subscribere ut (1) in causa Annonæ *l. 3. §. ult. ff. ad*
L. jul. d. annon. l. 13. ff. d. accusat. (2) in causa Simonix *arg. l. 31. C. d.*
Episc. & Cler. (3) Sacrilegij *l. 10. C. eod.* (4) Si ex *L. Cornelia ex*
Testamento falsi accusat l. 2. ff. de Accusat (5) Crimine læsæ Maje-
statis *l. 8. ff. ad L. jul. Maj:* (6) in adulterio mariti *P. H. D. Art. 120.*
Non autem jure Civili *L. 1. ff. de Adult. add. Wes. ff. de Adult. n. 12.*
Nec jure Canonico, nisi ad separationem thori *Dn. Han. ibid.* (7)
Suspecti tutoris, *§. 2. Inst. d. suspect. tut. l. 1. §. pen. & f. ff. Eod.* (8)
Hereseos *arg. l. 4. C. d. Hæretic. Dn. Brunn. ad L. 4. C. de his qui*
accus: (9) Et quando necem defuncti ulcisci tenentur *l. sororem,*
C. de his que ut indign. quod tamen apud Saxones ad proximos
agnatos hodie tantum pertinet. *Dn. Han. ad Wes. ff. de Sct. Silani:*
Et videtur illud originē trahere ex jure Longobardorū per ea, quæ
tradit *Dec: d. loc. n. 53.* Atque hoc quod de Accusationibus dictum
est, ampliari quoque potest ad testimonium dicendum in crimina-
libus, à quo mulieres de jure Canonico prohibentur. *c. Mulierem*
33. Q. 5. & in c. forus in f. d. V. S. Dn. Han. d. Differ. jur. Civ. & Ca-
non. Th. 12. lit. D. attamen hoc ad matrimonialia quoque non licet
extendere propter text. in *c. super eo. 22. de Testib. Tiraqu. in L.*
connub.

connub. 9. n. 64. Et quamvis hoc de nãvis videatur juris Canonici, excusari tamen potest, quod idem jure divino constitutum apparet *Deutr. 19. v. 15.* ubi virorum duntaxat fit mentio: Et quod iste d. c. 19. sensus sit, probatur per ea, quæ *Josephus l. 4. c. 8. Antiq. Judaic:* tradit inquit. Mulieribus autem testimonium deponere non liceat propter levitatem atque temeritatem ejus generis. Proinde dicimus, licet de jure civili hodierno, nam & de veteri secus fuit: *Vid. Gell. 6. c. 7,* fœminæ in criminalibus testes admittantur, non tamen esse testes omni exceptione majores. *Gilhaus Arbo. judic. Crim. c. 6. P. 3. n. 69.* in tantum etiam, ut nec in criminalibus duæ fœminæ plenè probent delictum ad effectum condemnandi Reum, quemadmodum tradit *Dec. ind. l. 2. n. 36.* Juxta tertium prohibentur mulieres (1) ab officio Notarij Publici. Tabellionis enim ministerium causam habet publicam, cum de rebus ad singulos spectantibus conficiat instrumenta. *l. 3. C. de Tabular: Scrib. Gudel. d. Jur. Noviss. l. 4. c. 11. Dn. Brunnem. ad l. 1. C. d. Tabular.* (2) Prohibentur postulare pro alijs *per l. 1. §. 5. ff. d. Postul. l. 2. pr. d. R. I.* etiam pro liberis *l. 31. §. pen. ff. d. Negot. gest.* Non autem si pro se, & in rem suam vel tutelæ nomine postulent. *per l. 4. C. d. Procurat.* Quod tamen intelligendum est, si alterius operæ participes fieri planè nequeant. Tunc enim, ne impingant in honestatem, excusat necessitas. *Benckend' p. 7. Art. 1. m. 4. fall. 1. d. loc.* Sed fallit istud jure Saxon: quo mulier in civilibus legitimam in judicio standi personam non habet, sive agat, sive excipiat: Proinde, si patronum habere nequeat, Magistratus constituet illi curatorem ad litem ex officio. *Dn. Han. ad Wesenb. ff. d. Postul. n. 4.* nec alias propter personæ muliebris inhabilitatem judicium ipso jure nullum sit: *Coler: Dec. 67. n. 17.* Quod si vero maritus pro uxore se offerat, nec eodem admittitur, nisi exhibito prius curatorio vel præstita saltem cautione de rato. *Dn. Han. d. loc. add. Wes. ff. d. Procurat. n. 4.* Deinde quoque excipitur si consilium duntaxat alicui suggerat in camera. *Dec: d. l. n. 10.* Quippe tum ratio prohibitionis cessat, quæ *d. l. 1. §. 5.* habetur. (3) Non possunt esse procuratrices in judicio jure ordinario *per l. 2. pr. ff. d. R. J.* cum ob rationem *l. 18. C. d. Procurat. & l. 1. §. 5. ff. d. Postul.* Quæ tanta est, ut nec illis in judiciis eas stare patiatur, ubi apices juris non attenduntur; siquidem, ne mulier in judicio intervenire possit, non est

de subtilitate juris, sed de honestate. Tùm propter l. 32. §. 2. ff. d. Arbitr. quia sic adversario obligarentur: Per litis contestationem, enim fit delegatio, atq; sic aliena susciperetur obligatio. l. 11. §. 1. ff. de Novat. exceptiones videantur ap. Han. ff. d. Proc. n. 4. Benckend. d. loc. p. 2. Art. 1. m. 6. ubi tamen hoc observare libet (1) quod exceptio illa, quâ mulierem per l. 3. §. 1. ff. de Negot: Gest: l. 7. §. 1. ff. d. instit: act: extra iudicium procuratricem constitui posse affirmatur, nulla sit, cum hic tantum quæraturlan possit procuratrix esse in iudicio (2) quod in omnibus casibus, quibus tam pro se, quam pro aliis conjunctis personis mulier intervenire dicitur, necessitas excipiatur, quando procurator haberi nullus potest; nam secus vis fieret honestati, licet in libertate in iudicio impetranda dicta ratio non attendatur per l. 1. §. illud quod. C. Comm- d manum: magnus enim est favor libertatis, & propterea multa permittuntur quæ alias jure fieri prohibentur. l. 24. ff. d. manumiss. l. 10. in §. f. ff. d. Reb. dub. (4) Neque Syndici munere fungi possunt, horum quippe, salvis tamen reliquis, eadem ferè est ratio, quæ procuratorum, & iidem, qui procuratorio nomine agere prohibentur, nec Syndici constitui possunt. Dn. Brunn. Colleg. ff. Quod cujuscunq; universit. nom. Q. 21. (5) Nec tutrices, neque curatrices esse possunt, per l. 2. l. f. ff. de tutel. l. 9. ff. de curat. furios dand. §. 1. I. d. Legit. agnat. tut. permittitur tamen hodie, non ut olim indulgentia principis d. l. fin. ff. d. tut. sed ipso jure aviæ ac matri liberorum tutela; Auth. Matri. C. Quando Mulier tut: off. & huic etiam ante avum paternum, Dn. Brunn. add. Auth. matri. modo [1] ne sit minor 25 annis l. 2. C. Eod. [2] ut maneat in viduitate, quod tamen hodie non multum attenditur, cum renunciatio ista amplius non impediatur nuptias Dn. Brunnem. ad d. Auth. Matri (3) ne adsit tutor ex testamento propter d. Auth. Matri. (4) ut illa renunciaret secundis nuptiis Sct. Vellejan: & omni auxilio Nov. 94. c. 2. quæ renunciatio facienda est specialiter, ut notat Naurath. ad Zoes. C. Quand: Mul. Tut: off. lit. E. Deniq; mulieres omnibus locis publicis abstinere debent, & rebus omnibus quæ in illis expediuntur, atque sic nec comitia conventusq; publicos frequentare, nec in ijs suffragia ferre Gell. 5. c. 16. Unde etiam quoties Syndicus universitatis nomine constituendus est mulieres convocandæ non sunt. Specul. d. Syndic. circ. pr. n. 3. & 4. nisi fortè foemina moribus collegium habuerint, ut in mona- est mu-

sterijs & similibus locis piijs; eo enim casu prohibendæ non sunt, ut convenient ad constituendum Syndicum *Wes. π. Quod cujusq; univers. nom. n. 4.* Et licet inveniatur mulierum aliqua, quæ comitijs & alijs rebus publicis interfuere, sicut *Dithmarus l. 4.* meminit duarum Abbatissarum, quæ, cum in locum Othonis III Successor esset designandus, inter proceres simul convenerant. Est tamen illud facti duntaxat, nec trahendum in consequentiam. Qua propter, cum sexus ratio atque verecundia fœminas in publicum prodire non permittat, ideò salubriter constitutum est *in l. 2. §. 1. C. de his qui ven. etat:* ut, pro impetranda venia ætatis, fœminæ annos legitimos vel testibus vel instrumentis misso procuratore probarent, ne alioquin contra pudorem atque verecundiam sexus cætui demonstrantur publico: Atq; hinc etiam rectissimè inferri arbitror, ipsas, quotiescunq; feudi renovatio necessaria sit, investiturâ petere aut fidelitatem præstare non nisi per procuratorem, aut per seipsos extra publicum tamen in camera debere, nec domino suo, si servitia exhibenda sint, aliter quam per substitutum ministrare posse. *Kohl. de Servit. feudal. P. 1. n. 61.* Quod numne etiam in depositione testium, quando fœminæ producuntur, observandum sit, cujusvis saniori permitto iudicio. Hoc tamen verum est, Juramentum calumniæ ipsas non nisi domi præstare *p. l. 2. §. 1. C. de Juram. Calum.* Nec documenta nisi in domo coram Notario Judicij recognoscere posse: *Berlich: P. 1. Concl. 44: n. 51.*

XI. Extra iudicia, & quæ præterpropter circa ea explicanda contingunt, mulieres viris propè æquiparantur. In pœnalibus autem quandoque conditionis sunt deterioris.

Quoniam in negotiis privatis rationes prohibitionis cessant, idcirco etiam mulieribus jure nostro extra iudicium negotia aliena tractare *per l. 3. §. 1. ff. d. Negot. gest. l. 7. pr. ff. d. Action. Instit. contrahere l. 12. C. d. Pignor. l. 1. §. 16 ff. d. Exercit. Act. l. 10. C. d. Pignor. & ad eam Dn. Brunuem. suaque alienare l. 6. C. de Revocand. Donat. l. 8. C. de Pact. convent. non interdicitur, Fallit tamen (1) in intercessionibus, l. 2. ff. de Sct. Vellej. l. 1. C. Eod. Fallit (2) Jure Saxonico, sed juxta distinctionem supra positam *Th. 5.*; Quamvis res soli absque omni discrimine, tutore vel curatore non adhibito, alienare inter vivos nequeant *Wes. ff. d. Donat. n. 4.* Quod postmodum etiam constitut, *Elect. 15, P. 2. ad contractus & alienationes mobili-*
um ex-*

um extensum est: Sed ita ut, ne ex ejusmodi obligationibus mulieres teneantur, opus habeant exceptione. *argt. l. 40. ff. d. Condictio: indeb.* Proinde quaeritur, si quid ex tali contractu absque curatore celebrato solutum fuerit, num possit condici? Et hoc affirmat *Daniel Möller ad d. Const. 15. P. 2. n. 91.* Verum enim vero ne nimium à jure nostro recedatur, potius negandum esse statuimus: Tū quod is qui jure Gentium aliquid debet, & vel ex parte vel in totum solvit, solutum per condictioem repetere nequit teste Paulo *l. 15. ff. de Condict. indeb.* jam vero ipse fatetur Author *ibid. n. 60.* foeminas ex tali contractu obligari naturaliter: Quapropter etiam dicendum, eas, si quid eo casu solverint, solutum nec condicere posse, Tum etiam quod *l. fin. C. d. Juris & facti ignor.* expressè cavetur, ne foeminae praetextu ignorantiae aut omissionis juris alicujus contractus suos retractare liceat: tum quod error juris in compendiis mulieribus nihil prodest, *p. l. 8. ff. d. I. & F. ignor.* Nec refert quicquam, quod mulier prohibita intercedere, si quid ex tali obligatione solverit, repetere possit *l. 9. C. ad Vellej.* Quamvis enim hujusmodi beneficii mulieribus, ne ob naturae imbecillitatem facile circumvenirentur, tributum est, non tamen exinde protinus ad alios contractus inferre licet; praesertim quod in intercessionibus de futuro detrimento *arg. l. 1. C. ad Sct. Vellej.* cujus mulieres satis argutae non sunt, agitur, non de praesenti, prout in solutione. Deinde etiam quod simpliciter absque curatore contrahere nequeunt, juris duntaxat est statutarii, quod tamen ex jure communi semper sumit interpretationem *arg. l. 2. C. d. Noxal. Act. Wes. II. d. jur. Dot. n. ult.* atque ita ut ab eo, quoad fieri possit, quam minimum recedatur *l. un. C. d. in officios. dot. Hartm. Pistor. p. 1. c. 13. in fin.* Unde quoque ritè jam concluditur, licet mulier ex tali contractu civiliter non obligetur, teneri tamen fidei jussorem illius propter naturalem obligationem. *arg. l. 127. ff. de V. O. l. 95. §. 4. ff. d. solut.* quod aliàs, si illo jure omnis improbaretur obligatio, affirmari non posset *arg. l. 16. §. fin. ff. d. Sct. Vellej. l. 9. C. Eod.* quod tamen facit *Möller: d. Const. n. 60.* Quae verò ita jure Saxonico constituta sunt, non procedunt, si mulier mercaturam exerceat, *d. Const. 15. P. 2.* nec si iudex suppleverit defectum consensus & Autoritatis secundum ea quae tradit *Nicol. Petrus de statut. Pact. & consuetud. Familiar: Illustr. c. 7. p. 287.* Fallit (3) respectu negotiorum, quae alios concernunt, ad quae

quæ vel omnino non admittendæ sunt foeminae, vel ad minimum
postponendæ; Atque in his (1) Occurrit investituræ solennitas, ad
quam tanquam testes mulieres adhiberi non debent. *II. F. 32. in fin.*
quia non nudæ probationis, sed solennitatis causa interveniunt te-
stes *d. u. f. 32. pr. Dn. Struv. Syntagm. I. F. c. 8. Th. 5. n. 2.* (2) in instru-
mento privato, in quo ut in vim publici valeat, foeminae testes esse
nequeunt *per l. Scripturas C. qui pot. in pign. habe: de quo tamen*
vid. Dec. ad d. l. 2. n. 32. & Tiraqv. L. Connub. 9. n. 6. (3) Ratione de-
positi, in quo præfertur masculus *l. f. ff. de Fid. Instrum.* (4) ratio-
ne testimonii perhibendi; præterquam, quod, ne honestati vis fiat,
in publicum facile evocandæ non sunt mulieres, nunquam tamen
istæ ejusdem cum viris sunt autoritatis, semperque illis minus cre-
ditur quam viris *Dec. d. l. 2. n. 34. 35.* (5) ratione juris jurandi, quod
viro & mulieri delatum ab illo prius est præstandum; quia major
præsumitur constantia. *Carpz. I. Const. 23. def. 17. n. 61. Dn. Brun-*
nem. in Not. ad tit. d. juram. Lit. Decis. n. 39. Proces. Civil. Quod
alterum theorematum hujus membrum concernit, (1) Tortura
debet inchoari à foemina: Sexus quippe ille semper præsumitur esse
timidior *propt. l. 18. pr. ff. d. Quest. Dec. ad d. l. 2. n. 43.* (2) Ratione
secundarum nuptiarum; siquidem earum festinatio puniebatur in
muliere infamia, amissione relictorum à priori conjuge, & incapa-
citate hæreditatis, legati vel similis largitionis extraneorum, nec
maritus secundarum nuptiarum à muliere secundo nubente plus
tertia parte bonorum ejus accipere poterat, licet nulli ex anteriore
thoro essent liberi *Nov. 22. c. 22. l. 15. C. Ex quib. caus. infam. l. 1 & 2.*
C. d. secund. Nupt. Cum ob incertum uteri, confusionemque
sanguinis, tum ob memoriam reverentiamque defuncti mariti,
quem mulier tantisper lugere tenebatur. *vid. Dn. Han. ad Wesenb.*
ff. d. his qui notant. infam. n. 5. (3) Ratione fornicationis & adulte-
rii; ob quæ mulieres protinus ac deprehenduntur, ipso jure infames
habentur *l. 43. §. pen. ff. d. Rit. Nupt. viri verò demum post senten-*
tiam arg. d. §. pen. junct. l. 14. d. testib. arg. l. 12. C. ad L. jul. d.
adult. ratio est, quod major in sexu muliebri requiritur honestas.
Dec. ad d. l. 2. n. 54. Supr. Th. 2. In reliquis pœnis obtinent ea, quæ
supra *d. Th. 2.* asseruimus.

XII.

Mortis denique causa in multis etiam Masculi præ-
stant foeminis, præprimis in quantum hæc cum in ultimis vo-

H

lunta-

Iuramentibus tum in successione ab intestato variam passim subire coguntur fortunam.

Cum, prout promptum nobis visumque fuit, satis haecenus differuerimus, quâ inter vivos viri fruuntur praerogativâ, super est, ut tandem, quibus masculi mortis quoque causa potiores sint mulieribus, paucis declarem. Quoniam verò longiorem tractationem de iis instituere nobis propositum nunc non est, ea propter, ut strictim nos expediamus, generaliter dicimus, viros omni prope Jure & testabiles esse, & in omnia defunctorum parentum ac consanguineorum suorum jura succedere posse: Foeminas autem cum legibus nostris, tum pactis, consuetudinibus feudalibus & statutis diversorum locorum variam passim subire fortunam. Sed quia positionis nostrae membrum prius per se liquet, atque ex alterius explicatione potissimum pendet, ideò ad alterum protinus nos convertimus. Quod itaque (1) Jus nostrum civile concernit (1) statuit *Peretz ad C. Qui testam. fac. poss. n. 17.* Foeminas Jure Romano testari non potuisse, nisi nuncupativè *pp. l. 77. §. 14. ff. de Legat. 2.* Quoniam verò istae nusquam textualiter expresso vel sub modo reperiuntur prohibita, satius est, ut iis testandi facultatem etiam jure nostro simpliciter concedamus. *arg. l. 4. §. 1. ff. de Procurat.* Quod si tamen nostris temporibus statuta hinc inde locorum recepta intuemur, utique plus quam in confesso est, mulierum passim adeò evuluisse auctoritatem, ut nec ultimarum voluntatum consignandarum liberum habeant arbitrium, nisi fortè consanguineorum vel maritorum suorum accesserit consensus; Quae quidem non ita explicanda sunt, ac si omnem sanæ mentis foeminis eriperent testandi facultatem, id enim foret periniquum, *arg. l. 43. p. ff. d. Vulg. & Pupill. substit.*; sed ne propter fragilitatem sexus facile deciperentur, major hic requiritur solennitas, *Tiraqu. Gloss. 5. n. 99. de L. L. Connub. Peck. lib. 3. c. 1. de Testam. conjug.* (2) Nequeunt adhiberi testes in testamento solenni §. 6. *Inst. de Testam. ordin. l. 20. §. 6. ff. de Testam.* Cujus rei plurimas allegat rationes *Frantzck. ad §. 6. Inst. Eod.* Earum tamen omnium potissima est, quam *Ludw. de ult. voluntat. p. 2. c. 1. Th. 13.* dedit; quod sc. foeminae jure civili comitiorum ac belli jus non habuere, & testamenta vel in calatis comitiis vel in procinctu facta sunt. *Gell. 5. c. 19. Vulteij. ad §. 5. cum seq. Inst. de Testam. n. 19.* Fallit hoc autem in testamentis minus solennibus, & in quibus spectatur maximè Jus Gentium, utpotè in Testamen

mento inter liberos, ad piam causam. *Frantzck. ad d. §. 6. n. 10. Mi-*
litis Zoef. C. de Testam. milit. Q. 1. & in codicillis. Ludwel. D. 7. Tb.
13. lit. E. (3) Non possunt pupillariter instituere nec testamento tu-
tores dare. sup. Tb. 8. (4) In testamento matris non datur contra-
tabulas possessio l. 1. ff. de bonor. poss. contr. Tab. matris siquidē præteri-
tio pro exhæredatione est. §. ult. Inst. de Exhæred. lib. sed cum jure no-
vissimo id correctum sit, Dn. Han. ad Wesf. de Lib. & post hum. her. n.
5. non videtur id liberis amplius negari posse, si verecundius cum
materno judicio agere voluerint. D. Han. ad Wesf. de bon. poss. contr.
tab. n. 3. (5) Fæminæ jure antiquo potuere exhæredari inter cæte-
teros. pr- Inst. de Exhæred. lib. l. 29. §. 10. ff. de Lib. & Posthum. l. 8.
C. de Injust. rup: testam. l. 4. C. de Lib. præter. minusque bonorum
possessione contra tabulas petita accipiebant, quam si ab intestato
successissent: d. l. 4. cui postmodum constitutione Imperatoria est
derogatum. in d. l. 4. C. de Lib. præter: Undè quæritur jam, num pa-
cta familiaria, consuetudines & statuta illa, quæ fœminas masculis
extantibus, per quos familiarum conservatur dignitas & nomen
sup. Tb. 6. ad prædia & possessiones avitas non admittunt, approba-
ri possint? Quod affirmamus: Cùm quia reip. maximè inter est fa-
miliarum conservari dignitatem. p. l. 1. §. 13. ff. d. Ventr. Inspic. l. 9.
C. de Quest. Foerst. 3. de success. ad Intest. c. 3. n. 20. Illustrioribus
enim atque potentioribus moderari vel ipsi imperio dignitatem ac
Majestatem conciliat ampliorem. arg. Nov. 15. pr. inf. Qui verò hoc
fieri possit, nisi per opes antiquas avitasque possessiones splendori
ac conservationi familiarum subveniatur? Eversio enim rei fami-
liaris, dignitatem & famam in præceps dare solet. Tacit Annal 6. c.
17. Tum quia per digniores atque ditiores regi debent Resp. l. 14. pr.
ff. de Decur. l. ad subeunda C. Eod. l. 2. ff. de Senat. Albert. Brun. de
statut. exclud. fœmin. art. 3. n. 10. Masculi verò sunt, qui gerunt
munera Reip. l. 2. pr. ff. d. R. I. Quidni ergo & conveniens sit, ut
masculi potius commodo successionis & facultatum honorentur.
Muscul. Class. 1. m. 2. Concl. 4. lit. B. de Success. Convent: & anom.
Add. Bodin. de Rep. lib. 5. c. 2. n. 527. Eoque magis quod maxima il-
lis opus sit & prudentia & rerum multarum cognitione, qui Reip.
præesse debent; cum tamen bodie imprimis ea sine impendiis mul-
torū sumtum agrè addisci possint. Propterea non officit d. l. 4.
cùm magis ad privata successionum jura pertineat, quam ad officia
publica & digna meritis præmia, quorum respectu meritò plus mas-

culis quam foeminis tribuendum est, *Ludw. ad l. 14. C. de Legitim. hered.* Præprimis quod & periculum sit, ne multi plebejorum doctes ac divitas anhelando apud externos matrimonia contrahant simul & domicilia, atq; sic Resp. destituatur proletariorum copia: cum tamen publice nihil magis expediat, quam ut imperia multis legitimè progenitis frequententur hominibus, *l. 2. C. de Indiët. Viduit. tollend.* (6) De Legato familiae mulieres non participant: Quamvis, vocabulo latius sumto, filiae quidem & cognati imò & ex parte affines familiae appellatione contineantur. *l. f. C. de V. S. Dn. Brunnem. ibid.* Omnino tamen verum id non est, quoties constat testatorem velle conservare familiam; atque sic foeminae familiae nomine non veniunt *arg. l. 38. §. 1. ff. de Legat. 3.* utpote quae familiam non conservant, *l. 195. §. f. ff. de V. S. Menoch. 4. Praesumpt. 88. n. 5.* neque eorum filii, qui propriè agnati non sunt, quippè per virilis sexus cognationem minimè conjuncti. *§. 1. Inst. de Legit. agnat. tut. & §. 1. I. de Legit. agnat. Success.* Proinde etiam hi extantibus masculis ad relictum familiae admitti nequeunt, quod si autem isti defecerint, filiae, sorores, earumque liberi jure succedent. *Muzar. in Epit. de fidei com. P. 2. Q. 43.* non quidem ex legato illo, quia non sunt, qui conservent familiam, sed ab intestato. *Christoph. Besold. Conf. 103. n. 5. & seqq.* Quæritur jam, si quis instituto filio fratres in vim fidei commissi substitueret, ut illi, si filius absque hæredibus corporis decederet, huic succederent, quosnā Testator per hæredes corporis intelligat (Resp. Est quidem in omni voluntate ultima non tam verbis inhærendum quam testatoris mens spectanda *p. l. penult. ff. de Legat. 1. l. 7. §. f. ff. de supelleët. Legat.* semperque tenendum illud, quod sensit maximè, *l. 96. ff. de R. I. Phil. Matth. ad dict. l. 96. n. 5.* Quodque credibile est ipsum cogitasse, *p. l. 24. ff. de Reb. dub.* Veruntamen cum verba sint mentis nostræ significativa & nemo sine voce dixisse existimetur *d. l. 7. §. f. ff. de supell. Legat. Dn. Han. ad Wes. ff. de Legat. 3.* Magis est ut credatur, testatorem non velle aliud, quam quod expresserit, *Peretz. in C. Caduc. toll. n. 6.* Quod si jam ad casum nostrum propositum convertimur, in dubio testator voluit fratres suos substitutos succedere, si filius absque corporis hæredibus h. e. liberis quibuscunque decesserit: Cum quia in omni voluntate ultima, si quid ambigui contineat, verborum maximè attendenda est proprietas, nec ea facile negligenda *p. l. 69. ff. de Legat. 3.* Nisi tamen manifestum sit, aliud sensisse testatorem. *Donell. lib. 8.*

lib. 8. c. 31. lit. B. Clar. §. Testam. q. 76. Jam verò vox corporis hæredes generalis est, & non minus proprie ad fœminas spectat, quam ad masculos *Suev. ad l. 65. ff. de V. S.* Tùm quia acceptio hæc est benignior, quod omnis in jure nostro fœminarum à successione exclusio exosa est. *arg. l. 4. C. de Lib. præter.* Proinde quoque testatorem hic aliud sensisse credibile non est; Fac enim Vasallum transgredere de bonis tùm hæreditariis, quam feudalibus, & apponere clausulam illam, si possessor bonorum & feudi decedat sine hærede ex corpore suo descendente, hic certè si filiam reliquit, quoad fructus feudi & reliqua bona allodialia, non dicitur sine hærede ex corpore suo descendente mortuus *Bapt. Laterch. Conf. 58. n. 15. §. consil. 92. n. 18.* Quod si tamen verba illa sine corporis hæredibus aliam interpretationem vel ex usu communi testatoris *l. 1. l. 9. ff. de Trit. vin. §. ol. Legat.* vel ex rei relicte qualitate admitterent, audiendi omninò essent substituti: Non enim inficior, corporis hæredes quandoque de alterutro sexu tantum intelligi debere, & nonnunquam de masculis solum *vid. Weben. Obs. Pract. verb. Leibes-Erben Gail. Obs. 194. n. 4. Suev. ad d. l. 65. Srub. Syntag. I. F. c. 4. Th. 12. n. 6.* nonnunquam de fœminis duntaxat dici *Suev. d. l.* Quod (2) ad pacta pertinet familiaria Verùm quidem est, jure civili pactis nec acquiri *l. 15. 19. §. ult. C. de Pact.* nec amitti hæreditates *l. f. ff. de suis & Legit. l. 3. C. de Collat.* Nam ut certi in jure nostro modi sunt adipiscendæ hæreditatis lex & testamentum *l. 1. l. 3. ff. de Petit hæred. l. 70. de acquir. hæred.* æqvè etiam certi modi sunt amittendæ illius. *Bacchov. ad. Treutl. D. 6. tit. 8. lit. F.* videlicet Exhæredatio, Præteritio, Abstentio, Repudiatio: Etiam si super parte tantum inita sunt. *arg. l. 76. p. ff. de R. Vind. l. 50. ff. de Administ. tut:* vel jurejurando firmata. *l. Non dubium C. de Legib. l. 3. C. de inutil. stipul. l. f. C. de Non numerat. Pec.* quod tamen secus est Jure Canonico, quia conscientiam isthæc non convulnerant. *c. Quamvis, de Pact. 15. in 6. Covarr. ad d. c. Quamvis p. 3. §. 2. n. 7.* Sed ut hæc omnia Jure Civili ita constituta sint, non tamen idem procedit, Jure Canonico, statutis & generali totius germaniæ consuetudine, quibus ejusmodi convaluere pacta. *Ludw. ad. l. ult. C. de suis & Legit. hæred.* Quippe nullum est dubium fortiori jure ac potentiori omninò standum esse; causa enim duplex præponderat uni. *§. 2. Inst. de Adopt. Auth. Itaque C. Commun. de Legat. Cravett. Conf. 201. n. 18. Wes. ad §. 21. Inst. de Rer. Div.* Jam verò consuetudo, quæ talia pacta approbat, jus est. *c. Consuetudo*

suetud. dist. 1. §. 3. & 9. Inst. de Jur. nat. gent. & quidem in eo loco ubi viget, censetur jus commune Muscul. Class. 1. m. 1. Concl. 3. lit. ff. n. 58. de Tuccess. anom. Nec aliter comparatum est cum statutis, quippe pari passu ambulant. c. Massana 56. de Elect. l. 6. pr. ff. Quod cujusq; univers. Et in idem recidunt ac convertuntur. Jason. in l. praescriptione n. 12. C. si contra jus vel utilit. publ. Sunt autem pacta hæc duum generum alia affirmativa, alia negativa: Illa vel dispositiva, vel conservativa, vel acquisitiva. Priora duo huc non multum faciunt, nisi fortè fideicommissum reale seu graduale ob affinitatem aliquam videri possit pactum conservativum, quo quasi paciscitur testator, ut bona conserventur in familia & agnatione ejus, qui fideicommissum reliquit l. 4. C. de fidei com. l. 77. §. 27. ff. de Legat. 2. l. 69. §. frater. Eod. quale fideicommissum pacto induci posse affirmat Muscul. Class. 1. Memb. 1. Concl. 3. lit. O. n. 83. Acquisitiva verò maxime & in quantum de posthabitione foeminarum concepta sunt; cujusmodi est (1) Pactum confraternitatis inter principes & personas illustres, significans duntaxat conventionem de mutua successione, una vel altera stirpe, quoad hæredes masculos, extincta. Job. Casp. Guttich. de Confratern. th. 1. lit. B. Job. Limna. Jur. Pub. lib. 4. c. 8. n. 126. Besold. in Thesaur. Pract. Voc. Erbeinigung n. 19. Quæ tamen semper, maximè si de feudalibus ineuntur, confirmatione indigent Cæsarea Gail. 2. Obs. 127. n. 5. Nicol. Bets. de Pact. famil. Illustr. c. 10. p. 688. & seqq. (2) Pactum Ganerbinatus, quo maximus natu Gaberniorum plerumque succedebat. Besold. d. Thes. Pract. in voc. Ganerben. Hæc dicuntur renunciativa, quibus futuræ renunciatur hæreditati aut ipsorum paciscentium aut tertii alicujus. Cujusmodi plerumque in favorem concipiuntur masculorum ad conservandam agnationem præsertim inter nobiles, ut filia, accepta legitima aut, ejus loco, dote acquiescens, reliquam hæreditatem fratribus, jurejurando prius renunciando juri suo, cedat. Vid. Acac. ab Enenk. Priv. 14. p. 1. c. 13. n. 8. & seqq. de Priv. Parent. Dn. Struv. Exerc. 39. n. 50. Nonnunquam etiam inter filios in gratiam primogeniti Dn. Struv. d. n. 50. Sed usu tamen foeminarum magis frequentantur renunciationes; quod quasi contra bonos mores videtur cum filii hæreditatem paternam spernentes juri suo renunciant Acac. ab Enenk. d. c. 13. n. 16. inf. Plura vid. ap. Muscul. d. Tract. Concl. 4. 5. 6. 7. Dn. Hahn. Select. Dissert. 2. de Pact. Th. 54. Quod (3) ad Consuetudines feudales spectat, observandum est in feudis

feudis foeminas regulariter non succedere. *I. F. 1. §. 3. I. F. 8. §. 2. I. F. 24. 11. f. 36. ibi quia ipsum servire, non valet, sic dicimus & in foemina 11. f. 11.* Utcunque etiam armis assuetæ & ad servitia militaria exhibenda domino habiles sint. *Dn. Struv. Sytagm. J. F. c. 9. Th. 8. n. 1.* Quippe in materia feudali, quoties hæredum simpliciter, fit mentio, nec de consuetudine foeminae in feudis succedunt, per eos intelliguntur masculi, qui juxta ordinariam sexus prærogativam idonei sunt; juxta ea quæ traduntur *11. f. 13. ibi eo mortuo sine legitimo hærede masculo. Ludw. ad Auth. in successione. C. de suis & Legitim.* ubi etiam causas tradit præcipuas, ob quas potissimum, foeminae à feudis repelluntur, unde peti possunt: Nec hoc tantum in foeminis procedit, sed etiam in ipsarum liberis masculis. *I Feud. 1. 11. F. 22.* siquidem nemo plus juris transferre potest ad alium quam ipse habet. *l. 54. l. 120. ff. de R. J. nec quenquam meliore conditione esse posse, quam Author ejus fuit, ipsa dicitur natura. l. 175. §. 1. ff. de R. J. Philipp: Matth. ad d. l. 54. n. 4. & 5. add: Ludw. ad d. Auth. In successione.* Quod observatur sive feudum seculare sit sive ecclesiasticum, nec quicquam obstante vulgari illo *Krumb. Strab. schleust Niemand auß.* Quippe istud dicendum videtur, ubi ex singulari consuetudine non excluduntur foeminae. *Rosenth. de feud. c. 7. concl: 31. n. 6. lit: T. Dn. Struv. Synt: J. F. c. 3. th. 4 n. 3.* Excipiuntur autem, feuda franca & condicionata, nisi Dominus in investitura solos masculos intellexerit per hæredes; ut & foeminea, in quibus tamen semper ratio sexus habetur, ut prius vocentur masculi, & his deficientibus demum foeminae, quod etiam inter earum liberos attendi debet *Dn. Struv. d. c. 9. Th. 8. n. 6. Atq; hinc jam quæritur num foemina semel exclusa per masculos, semper exclusa maneat? Quod negatur. Vid. Arum: D. F. 6. Th. 13. Dn. Struv. d. Th. 8. n. 6. & 7.* Denique (4) quod ad cæteras consuetudines & leges municipales attinet, dubium non est, ejusmodi plurimas hinc inde locorum usu observari, ut foeminae dotibus suis contentæ reliquam hæreditatem, utcunque opimam, relinquunt masculis, quò facilius inde hi conservare possent familiam. Quemadmodum talium statutorum meminit *Bald. in l. ult: C. de suis & Legit: n. 11. & Gail, 2. Obs. 98. n. 9. Obs. 148. n. 5.* habemusque exemplum in ñgne admodum inordinatione Dicasterij Regij Ducatus Glogoviensis facta Anno 1541. à Sigismundo Duce Glogoviensi in Silesia, in qua *n. 12.* expresse cavetur, filias æquis portionibus, quamdiu extarent masculi, ad præ-

124
prædia & bona paterna, quo in familia conservarentur, admittendas non esse, sed suis, vel à parentibus vel fratribus ad arbitrium consanguineorum constitutis, dotibus acquiescere & ab interpellationibus & injuriis fratrum penitus abstinere debere. Quæritur hic autem, utrum filia ejusmodi statuto semel exclusa, in perpetuum exclusa sit? Quod negat *Gail: d. Obs: 148. n. 5.* Et rectè; Cum quod odiosa sunt statuta fœminas excludentia à successione parentum *p. l. 4. C. de Lib. præter;* ideoq; ita restringenda atque interpretanda, ut jus commune quam minimum lædant, nimirum ut ad tempus exclusæ censeantur, donec & quousque masculi extent. *text: in c. cum dilectus §. quia nobis. de Consuetudine & in l. præcipimus §. f. C. de Appell: Gail: d. Obs: 148. n. 6.* tum quod ejusmodi statuta protius ad prælationem masculorum quam ad exclusionem fœminarum pertinent. *Gudel: de Jur. Noviss: lib. 2. c. 15.* quod tamen tunc demum obtinet, si verba statutorum cum tractu temporis perseverantiam liberorū requirant. V. G. si prohibeant filias succedere, quoad, donec & quamdiu masculi extent. Non verò si simpliciter concepta sint, & possint verificari momento temporis.

Acac: Eneck. Pri. 14. P. 1. c. 12. n. 17. de Priv. Parent, & hæc ita sufficiant.

SOLI DEO GLORIA.



ULB Halle
006 558 348

3



Handwritten scribble







1664, 4
J. C.

8

JURIDICA #7

64
15
19

ATE ET MARIUM

juris effectus;

o Numine

*is-Consultorum Ordinis in Illu
itate Viadrinâ*

DE

, **AMPLISSIMO**, **CONSUL-**
LENTISSIMO

DECHERO

P. P. Ordin. Reip. Literariæ
vitatatis Consule Primario,

atatem suspiciendo,
do,

kamini submittit

IS Förster

consultorum

Augusti

MD DC LXIV,



BECMANUS.

18.

& HENK. JON. MEYER/1680.
isp. IX.

